

Caspar Bartholin


**Casp. Bartholini De Mixtione Eamque Consequentibus Temperamento, Coctione, Putredine, Petrificatione, [et]c. Liber Unus**

Rostochii: Rostochii: Hallerfordeus: Pedanus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730119920>

Druck Freier  Zugang





74. 13.

Oa-3046<sup>1</sup>-5.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

20

21

1110





5  
CASP. BARTHOLINI  
DE MIXTIONE  
EAMQUE CONSE-  
QUENTIBUS

TEMPERAMENTO,  
COCTIONE, PUTREDINE,  
PETRIFICATIONE, &c.

LIBER UNUS



ROSTOCHII

Typis Jo. Pedani, Prostat apud Joan-  
nem Hallefordeum Bibliopolam

Anno M. DC. XVIII.

UNIVERSITÄT  
ROSTOCK

*Illustri & generoso  
viro,*

**DN. GEORGIO LUNGE,**  
Domino de Odden, Birchiltz, &c.  
Regni Daniæ Senatori & Militiæ Magistro,  
Equiti aurato, ac propugnaculorum, Bahu-  
senfis in Norvegiæ regno munitissimi,  
& Elfsburgenfis in Sveciâ,  
Præfidi,

*MUSARUM MARTISQUE  
antistiti rarissimo,*

Domino & fautori non è multis  
Mistologiam hancce

D. D.

CASP. BARTOLINUS.



CAP. I.  
DE MIXTIONE.



Utrum Elementa sint princi-  
pia mixtorum, liquet dari  
corpora ex Elementis compo-  
sita seu mixta. Ut autem in-  
telligatur natura corporis

mixti, de mixtione primò agendum.  
Et scienda imprimis distinctio vocis in sua  
significata, ut constet de qua mixtione hoc lo-  
co sermo futurus. Alia enim mixtio impro-  
priè dicta est & artificialis huc non perti-  
nens: alia propriè dicta & naturalis. Artificialis  
fit. i. appositione, quando res diverse na-  
turæ ita in unum coacervantur cumulum,  
aut ita conjunguntur, ut singule quoad essen-  
tiam integræ maneant: ut quum grana tri-  
tici, hordei, avenæ, &c. unum constituunt  
aceruum. In tali partium exiguarum solo  
appositu mixtionem Veteres nonnulli colloca-  
runt cum Anaxagora, quos refutat Aristote-  
les lib. 2. de Generat. & Corrupt. cap. 10. cum

A 2.

hos.



hoc non fit propriè misceri, sed partes alias  
juxta alias poni. 2. Confusione, quum  
distincta corpora ita copulantur, ut & in mi-  
nimas partes sensui non obvias secentur, &  
inter se mutuò agant atq; patiantur, non nihil  
alterentur, & ita inter se confundantur, ut  
separari discernive nequeant, novam tamen  
naturalem speciem non producant. E. G. quum  
miscentur aqua & vinum, cerevisia & vi-  
num, variæ species in medicamento aliquo  
composito &c. In appositione nulla, in confu-  
sione levis alteratio. Physica & propria  
mixtio est, ubi copulata ita invicem alteran-  
tur & uniuntur, ut mutuâ actione & passione  
novam quamdam speciem producant. Talis  
mixtio est, quum corpus naturale ex Elemen-  
tis componitur: de qua posthac Aristote-  
les optimè eam ita definit.

Mixtio est miscibilium alterato-  
rum unio.

Definitum est Mixtio. Reliqua tria vo-  
cabula definitionem constant: cujus genus est  
Unio; reliqua loco differentie. Circa defi-  
nitum notandum 1. An detur mixtio 2. An  
& quomodo differat à generatione mixti

Dati

Dari mixtionem probo 1. Quia dantur mixta corpora ex elementis. 2. Quia Elementa suo apte ingenio ad mixtionem ordinantur. 3. Quia possunt in unum locum Elementa convenire & avum mutuo activa & passiva sunt, nihil impedit, quod minus vicissim in se agant, ut ex his mixta interdum generentur. 4. Quia cernimus varia animalcula ex putrescente materia subito nasci: quod non fit, nisi mixtionis interventu. Nec putandum mixtionem esse contra naturam rei omnimode, licet Elementorum in locum unum concursus, non sit simpliciter naturalis: A causis enim universalibus naturalibus promovetur. Deinde miscibilium alteratio & introductio formæ mixti naturalis est, quum Elementum non reperratur adeo purum, ut qualitate aliena & peregrinis partibus non sit infectum.

Differunt mixtio & mixti generatio non realiter, sed ratione tantum. Non realiter, ut vult Mercenarius. Nam 1. mixtio est species quadam generationis, unde alijs definitur, quod sit mixti generatio, ex mixtilibus alterati. 2. Est una & eadem species mutationis, quâ mixtum generatur &

A 3

quâ

quã Elementa miscentur, quæ dicitur mixtio.  
Quum enim mixtio dicatur Unio miscibili-  
um alteratorum, significat non tantum con-  
gregationem Elementorum divisorum in mi-  
nuta, antequam in unam naturã coalescant  
(quem admodum vult Mercenarius) sed simul  
productionem unius substantie mixti ex plu-  
ribus substantijs miscibiliũ, quæ est ipsa mixti  
generatio. Unde ait Philosophus: Miscibilia  
definere in mixtione esse id, quod ante mixti-  
onem erant, & in naturam mediam transire  
similiarem, cujus totum & partes habeant  
eodem nomen & definitionem. Hinc dicitur  
precessisse alteratio per mutuam actionem &  
passionem qualitatam, ut in ea formaliter  
mitionis natura consistere nequeat. Sic vice-  
versa in definitione generationis mixti conti-  
netur ipsa mixtio, quum hæc unio sit, illa ge-  
neratio vel productio substantie mixti ex E-  
lementorum substantijs. Unde definitur Ge-  
neratio mixti Aristoteli + Meteor. trans-  
mutatio patientium qualitatam, ab  
agentibus qualitatibus, supra illas  
dominantium. Ubi autem qualitates pri-  
mæ Elementorum, ibi ipsa Elementa. Præte-

rea utraq; actio & passio qualitatum (una, quâ due contrarie invicem agunt & patiuntur, & ita omnes qualitates sunt activæ, & omnes passivæ; altera, quâ due activæ contemperatæ agunt in duas passivas terminando, congregando, &c.) in utraq; definitione continetur; sed quæ in una ponitur expresse, in altera est implicite, unde alij definiunt mixtionem, quod sit Unio sicci cum humido ob qualitates activas proportionatas.

Etenim non agunt due activæ in passivas, nisi per priorem actionem essent contemperatæ; non terminant, congregant, nisi calefacter. Et rursus, unio illa, quæ est transitio plurium naturarû in unam, non fieret sine actione duarum activarum in passivas. Itaq; non fit generatio mixti sine mixtione, & è contra: & tempore atq; natura simul sunt.

Non tamen penitus idem sunt, quod voluit Erasius contra Mercenarium, sed ratione differunt, ut rectè Zabarella. Nam 1. dicitur mixtio, quatenus Elementorum unionem respicimus, vel respectu termini à quo videlicet Elementi: Mixti generatio respectu termini

ad quem, vel forme mixti, quæ producitur.  
Nam mixtio non est mixti, sed Elementorum,  
Generatio non Elementorum, sed mixti: Ideo  
in definitione mixtionis exprimitur altera  
tantum actio, magis Elementa respiciens, in  
definitione generationis mixti, altera; magis  
respicies mixtū. 2. Unde etiam mixtio & mixti  
generatio pro diversis considerationib. distin-  
ctas definitiones habere possunt 3. Quum mis-  
cibilia partim servari dicantur in Elemento,  
partim non servari; vox generationis mixti,  
respicit Elementa, ut non servata, vox mix-  
tionis ut servata. Exempla ab Erasmo ci-  
rata, ut sanguificatio est sanguinis generatio,  
ædificatio ædiū generatio &c. non quadrant:  
Quia & re & ratione idem sunt. Sed illud ab  
eodem allatum (compositio & compositi gene-  
ratio) quia compositio respicit plura, ex quib.  
unum componitur, compositi generatio unum  
illud, quod generatur.

Interim generatio, simpliciter loquendo,  
non generatio mixti, à mixtione admodum  
differt, ideo si quis in præsentia materia rea-  
lem differentiam statuatur, ut generatio mixti  
tantum principalem illam actionem, quæ  
mixti

mixti forma in instantiâ introducitur, noterz  
mixtio v. prævias involvat alterationes, qui-  
bus ab esse mixtili in aliud, videlicet mix-  
ti, fit progressus: non repugnamus, Utrumq;  
autē includit definitio mixtionis Aristotelica.

Genus est Unio (omnis enim mixtio est  
unio, non è contri) h.e. conglutinatio & con-  
cordia miscibilium diversorum transmigran-  
tium in unam naturam, ut unum fiant spe-  
cie, vel ut unus novus existat actus seu speci-  
es, sub qua plures substantiæ inter se colligata  
sint conformes. Mixtio autem non est tantū  
compositio, quippe quæ etiam fieri potest ex si-  
milibus & ejusdem speciei, mixtio v. ex dif-  
ferentibus & contrarijs.

Differentiæ loco reliqua sunt. Dicitur v.  
miscibiliū, id est Elementorum, quæ  
misceri possunt, & in unam substantiam coa-  
lescere. Quamvis autem quedam maxime  
constent ex aqua, quedam maxime ex terra,  
ideoz ob cognationem ibi tantū vivant:  
interim tamen unum Elementum alterum  
non excludit. Ad omnem enim mixtionem  
perfectam Elementa concurrunt omnia: ita  
tamen ut unum aut duo in mixto constituto

maximè habeant dominium, & peculiarem  
virtutem obtineant. 2. Alteratorum. Vi-  
delicet actione & passione mutuâ, beneficio  
contrariarum qualitatum, quæ mutua pu-  
gna infringuntur & ad moderationem quan-  
dam ac proportionem rediguntur. Ut, calor  
frigiditate obtunditur, hebetaturq; atq; vi-  
ceversa. Humiditatem siccitas debilitat &  
frangit, atq; viceversa. Et ita hæc voculâ di-  
stinguitur mixtio: ab improprie dictis alte-  
rationibus, ut supra. 2. A varijs mutationi-  
bus, quarum opè alterum planè interit.

Causæ. Efficiens: remota sunt cor-  
pora cœlestia, quæ in hæc inferiora agunt,  
& ad certas actiones disponunt. Hujus causæ  
respectu mixta pleraq; non sunt effecta nobi-  
liora efficiente. Propinqua sunt quali-  
tates ratione duplicis muneris (de quo paulò  
ante. 1. quando omnes sunt activæ & passivæ.  
2. quando activæ agunt in passivas tanquam  
materiam: quod postremum munus Merce-  
narius generationem mixti absolvere voluit,  
prius mixtionem) Unde Arist. 4. Meteor. c. 6.  
ait humidū cum sicco terminari activis ope-  
rantibus. Et idem: Calidum & frigidum ge-  
nerare,

nerare, quum dominantur materie: quod  
alibi dicit, quam habuerint proportionem,  
(Terminare autem non est primaria activa-  
rum operatio, sed secundaria) quod domini-  
um non peccabit in defectu, alias non fiet ge-  
neratio, sed qualiscunq; digestio & inquinatio;  
neq; in excessu, alias res generanda de-  
struetur. Et illa dominij determinatio est pro-  
cujusq; mixti generandi natura. Aliter enim  
dominabuntur in generatione metallorum,  
aliter in plantarum, &c.

Finis mixtionis & generationis mixti pri-  
mus est forma mixti. A primo ortus  
est universi perfectio & pulcritudo,  
quæ, sicut ratione quantitatis corpora simpli-  
cia mundum perficiunt, requiritur ratione  
qualitatis in mundo. Ideo mixtorum tam  
varie species.

Materia sunt miscibilia, vel Elemen-  
ta, vel sublunaria simplicia corpora (accidens  
enim non dicimus misceri cum subjecto, ideo  
miscibilia sunt corpora) quorum condiciones  
aliquot sunt ad mixtionem vel generatio-  
nem mixti, & requisita. i. Requiritur mo-  
tus localis, quo miscibilia sibi mutuo appro-



pinquent, & in unum locum concurrant. 2. Contactus. 3. Ut inter se agere & à se invicem pati possint. Quæ enim invicem non agunt & patiuntur, miseri inter se non possunt, ut inter lapidem & lignum nulla sit mixtio, quia neutrum in alterum agit. 4. Adeoq; miscibilia debent alterari, mutuaq; actione & passione sese invicem subigere & contemperare, beneficio qualitatũ contrariarum, quæ se invicem obtundunt, & ad moderationem quandam redigunt. 5. Ut certam inter se habeant proportionem agendi & quantitatem, ne unum ab altero nimium superetur, interim unum quoquo modo alterum superet. Si enim unum ab altero nimium superatur, tum fortius convertit id quod debilius in suam naturam, & nulla fit mixtio, ut cum gutta vini in vas aquâ plenum aut in mare infunditur, non fit mixtio, sed confusio aliqua, vel potius parvi à magno corruptio, nempe vini corruptio, & Aquæ augmentatio. 6. Adeoq; miscibilia permanere debent in tertio, & non in alterum corrupta. Sic lignum igni misceri non dicimus. 7. Ut sicut in partes minutissimas facile divisibilia.

fibilia. Actio enim & passio qualiscumq; non  
sufficit, sed talis, quâ tota substantia totam  
permutet, & permutetur: quod fit, quum per  
minima sit divisio (late sermociando, quum  
stricte minimum naturale non detur) ut  
quodvis à quavis minimâ parte attingi possit,  
quo ex omnibus unum fiat, id est, ut quodli-  
bet unius quodlibet attingat alterius, quis  
quaelibet pars mixti mixta esse debet, & uni-  
onem continere substantialem. Exemplum  
patet in arte Pharmaceuticâ, ubi species com-  
ponendâ, & medicamentum compositum in-  
gressura, inciduntur, contunduntur, in pul-  
verem rediguntur, ut arctius inter se com-  
miscantur. Ea enim est ratio mixtionis, ut  
parva parvis apposita facilius miscantur,  
quum miscibilia agant se tangendo, &  
commodius sibi invicem adhereant, seq; tan-  
gant divisa, ideo divisa magis miscentur. In-  
terim mixtionem quæ à natura fit, quum in-  
ter hujus sit arcana, ars non assequitur, neq;  
Pharmacopœorum, neq; pictorum, licet hi  
omnes in rebus miscendu laboriosi sint & accu-  
rati. 8. Quod non maneant conjuncta sem-  
per, sed separabilia aliquando sint ad invicem,

ut per se possint subsistere. 9. In fine alteratio-  
nis sequitur productio formæ substantialis, &  
unio substantialis materierum ipsorum misci-  
bilibium, adeoq; media quedam natura oritur  
ex Elementis composita, novâ specie, quæ for-  
ma mixti dicitur, induta, facto q. vinculo  
contrariarum naturarum, sub quo concordia  
pace ligantur.

In requisitis explicanda sunt Officia, quæ  
sustinent Elementa cum suis qualitatibus in  
mixtione Humido & sicco materia mix-  
tionis præstat: ut ab humido mixtum habe-  
at continuitatem, à sicco consistentiam. Hu-  
midum enim terminabile est termino alieno,  
siccum stabilitatem præbet. Solum a. siccum  
non sufficit, quia non coherent ejus partes, nec  
uniri possunt à calido, nisi humidum accedat  
tanquam coagulum: nec solum humidum,  
quia diffluit, & figuram nullam consistenti-  
amve servat. Calor est agens, miscens,  
frangens, discindens, Elementa ad mixtio-  
nem evocata uniens, & unionem continens,  
ut humidum cum sicco justâ proportione tem-  
peretur. Frigidum accedit, calori modum  
imponens, juxta mixti futuram naturam &  
condi-

conditionem: fit enim mixtio non quovis modo, sed mensurato, determinato, definito. Addunt alij frigiditatem humido debitam densitatem addere, adeoq; consistentiam majorem conciliare. Mixtum ergo à calido formam q. accipit, mensuram autem & modum à frigido. Atq; ita liquet in mixtione, terræ officium esse 1. ratione frigiditatis, calori resistere, 2. ratione siccitatis, aeris & aquæ molliem atq; lubricitatem crassitie & siccitate temperare, ut humiditas aeris & aquæ cohibeatur, veluti repagulo sistatur & consolidetur, fiatq; mixtum aptum figuræ recipiendæ & durabiliter conservandæ. Aquæ 1. ratione frigiditatis idem quod terræ. 2. ratione humiditatis mollificare siccitatem terræ, ad formam facilius suscipiendam. Aeris 1. ratione caloris, efficere illa, quæ de calore dicta sunt. 2. ratione humiditatis, sicca ad proportionem redigere. 3. Tenuitatis, pervadere, subire, subigere omnes miscendorum corporum particulas, crassas rarefacere & sublimare, aqueas inflare, dilatare.

Forma loco generis ponebatur, videlicet unio. Modus autem quo miscibilia

ANUN-

uniuntur in mixto, & ibi sine maneatq<sup>3</sup>, ex-  
plicandus, quum nulla fere intricatior qua-  
estio Physicis, quam hac ipsa. Quomodo  
Elementa uniantur, sint & mane-  
ant in mixto: an secundum sub-  
stantiam, formaliter vel secundum  
formas suas, an secundum acciden-  
tia vel qualitates: tantum.

1. Opinio eorum esse potest, qui nihil heic  
decernere plene volunt.
2. Eorum, qui dicunt in mixto plane perire  
& formas Elementorum & qualitates inse-  
quentes, oritur autem per generationem novam  
formam mixti, & novam qualitatem vel tem-  
peramentum seu complexionem: atq<sup>3</sup> ita vir-  
tualiter manere Elementa in mixto quod cor-  
ruptis Elementorum formis, forma quae succre-  
scit, potentialiter & virtualiter contineant  
Elementorum virtutes: quamvis in his aliqui  
qualitates Elementorum servari concedant,  
formis abalitis: Hujus secundae opinionis sunt  
Scotus, Cajetanus, Thomas, Capreolus, Duran-  
dus, Richardus, Occam, Pervaeus, Soncinas,  
Ferrariensis, Aegidius, Conninbricenses, Sa-  
sconia, Vallesius, & pleriq<sup>3</sup> medici.

3. Quis

3. Qui putant manere penitus, sicut ante  
mixtionem, sicut etiam post, & formas integras &  
qualitates integras Elementorum. Ita statue-  
re Anaxagoras, Empedocles, Stoici, atq; hoc  
etiam statuere videtur Alexander. Quâ  
opinionem imbutus Empedocles, ullam Elemen-  
torum mutationem fieri negavit, sed mixta  
ex ijs ita produci censuit, uti ex cæmento &  
lapidibus murus, videlicet ex minutissimis  
Elementorum partibus inter se coherentibus,  
absq; ulla substantiarum mutatione.

4. Aurealis statuit manere in mixto Ele-  
menta, sed secundum realitates solum putans  
Elementa corrumpi, & deduci à propria specie  
in aliam rem novam, quam realitatem ap-  
pellat. Quæ sententia absurda nimis: nam post  
corruptionem nihil corrupti manet; nedum  
realitas. Quomodo ergo Elementa corrupta  
manerent secundum realitatem propriam.

5. Est Averrois, quem pleriq; hodie Peri-  
patetici cum Zabarella sequuntur: manere  
in mixto & formas & qualitates Elemen-  
torum, sed utraq; remissas refractas & casti-  
gatas.

6. Est Avicenna, manere format, Ele-  
mento-

mentorum integras & perfectas, qua-  
litates tamen multis modis refran-  
gi, & ad temperiem moderationemque  
reduci. Hanc sententiam nos amplectimur  
( non tamen statuendo formam mixti esse  
planè eandem cum formis Elementorum ) non  
tantùm qualitates, sed etiam formas Elemen-  
torum in mixtū manere, ( & quidem inte-  
gras, ἀλλογεν enim est dicere formas substan-  
tiales posse intendi, frangi, remitti, quomodo-  
cung; illud palliare contentur ) probamus con-  
tra secundam opinionem.

2. Ex definitione mixtionis, & Aristotelis  
autoritate, quæ habent Elementa in mixtio-  
ne alterari, non tolli, aut corrumpi, cum non  
simpliciter unum dominetur alteri, ut in cor-  
ruptione, sed quoquomodo, ut inter se habeant  
proportionem, quemadmodum habet Philoso-  
phus lib. 1. de Generatione & Corruptione,  
textu 89. ubi simul addit non corrumpi, neq;  
ambo, neq; alterum, sed salvas manere virtu-  
tes eorum, quæ certè citra proprias formas  
non salvantur, quoniam accidentia corrupti in  
genito non maneant, & text 88. Idè guttam  
vini decem millibus amphorarum aquæ non  
admis-

admisceri, quia forma vni aboletur. Sic lib. 2.  
text. 48. ait: Quando in duorum Elemento-  
rum congressu, unum est absolutè actu, alte-  
ram potestate, non est mixtio, sed hujus ge-  
neratio, hujus verò interitus, at quando neu-  
trum omnino interit, sed modo aliquo, cali-  
dum factum est frigidum, & frigidum factum  
est calidum, & neutrum est actu absolutè, sed  
transiit utrumq; in quoddam medium, tum  
est mixtio, sic text. 84. ait: miscibilia non  
interire, sed seruari, text. 46. ait: Hæc mix-  
tura & congeries ex conservatis quidem, sed  
secundùm exiguas portiones juxta se compo-  
sitis erit Elementi. Sic. 4. Metaph. cap. 3.  
Elementum esse id, quod inexistit; inexisten-  
tia autem præsupponit existentiam, essentiam,  
adeoq; formam. Item Idem Aristoteles ait:  
Elementa à mixtis segregari, non denuò ge-  
nerari. Lib. 3. de cælo c. 3. & 2. de anima con-  
tra Empedoclem inquit: Si tactus esset vir-  
tus activa, sentiret utiq; Elementa, quæ sunt  
in sensorio.

2. Ulterius, ex natura mixtionis. ratio enim  
non convenit his, quæ non sunt, nec potest con-  
stitui aut misceri corpus mixtum ex Eleme-  
tis,



tis, quæ intereunt, id est, ex ijs, quæ non sunt  
actu: alias aliquod Ens ex non Entibus com-  
poneretur.

3. Si concedunt qualitates Elementorum  
esse in mixto, quæ sunt eorum affectiones,  
concedere coguntur subjecti earundem for-  
mas actu esse.

4. Mixtam V. G. lapidis moveatur motu præ-  
dominantis Elementi. Motus autem est affe-  
ctio ab ipsa forma profluens. Et quomodo do-  
minabitur id, quod actu non est?

5. Si formæ Elementorum non sunt actu in  
mixtis, Elementa nusquam in natura rerum  
actu sunt, quum semper sint in mixto aliquo:  
Dubium enim an usquam reperitur purum  
Elementum.

6. In quæ quid dissolvitur, ex ijs actu con-  
stat: At mixtum in Elementa resolvitur.  
Ergo. Minor patet exemplis plurium mixto-  
rum, à quibus actu educuntur Elementa.

7. Si Elementorum formæ abolerentur, suc-  
cedente unica forma mixti, esset forma mix-  
ti simplex, sicut cuiusvis Elementi forma,  
adeoque nullam corpus mixtum substantialiter,  
vel quod substantiam.

8. Si

8. Si Elementa idē in mixtis esse dicentur,  
quia virtute vel potentiā tantū ibi sunt,  
pari ratione unum Elementum erit in alio.

9. Non posse qualitates Elementorum ser-  
uari, formam v. substantialem eorundem cor-  
rumpi, patet: Quia agens in corruptione, prius  
destruit qualitates, quā formam substantialem.

10. Si Elementa in mixto non manent, sed  
corrumpuntur, queritur, quodnam sit illud  
corrumpens, vel agens, à quo corrūpatur? Nul-  
lum. Non à se corrumpuntur: quia in mixtio-  
ne partes quōdammodo vires habent: neq; à  
forma mixti introducenda, nam hæc, quum  
fit sitis, non agit nisi metaphoricè, quatenus  
agens movet ad agendum.

11. Quando mixtum comburitur, & ab  
igni corrumpitur, atq; in terram dissolvitur,  
adesit certè terra, quæ antea erat in mixto  
actu unā cum reliquis Elementis. De novo  
enim generari non potuit, quod vult Vallesius,  
aut produci ab igne illo, quippe qui mixtum  
comburens non disponit pro generatione ter-  
ræ, quum dispositionem terræ generationi po-  
tius contrariam, videlicet, caliditatem in-  
roducat.

12. Sub-

12: Substantiæ, rigidè loquendo, temperari nequeunt, sed tantum continuâ positione con-necti & misceri (non tamen ad modum Empedoclis, sed in exiguas portiones distractæ, eaq; ordine compositæ sunt, ut nihil sensui nota-bile sit, quod non ex omnibus portionibus constet) qualitatum autem consummata sit permixtio & temperatio.

13: Vincentis Elementi officium est nos in morbum & corruptionem facile ducere, & mixtionem dissolvere. Itaq; nulla fieret cor-ruptio, Elementorum formâ à mixto absenti-bus. Hoc enim est intrinsecum corruptionis principium, quum Elementa conantur in pri-stinum statum restitui, & unumquodq; mi-scibilem reliqua superare, se ab unione con-trariorum eruere, & sui juris solum esse.

14. Neq; satis est qualitates misceri, ac for-mæ & materiæ primæ advenire: tum enim sufficerent duo Elementa contrarietatibus constantia, quum qualitates omnes duo-bus insint. Atqui non sufficit formam mix-ti cum materiâ primâ, ut mixtum fiat: sed oportet materiam Elementaribus conditio-nibus insignitam adesse, nam Elementorum  
formæ

formæ faciunt materiam primam subiectum  
aptum ad officium materiae exsequendum, seu  
ad formas suscipiendas, hoc est, hunc actum ei  
præstant, ut sit actu materia, quæ antea ut pri-  
ma erat tantum potentia, & remotissima ma-  
teria (& in hac generica informandi ratione  
conveniunt omnes formæ Elementorum, diffe-  
runt autem in speciali informandi modo, eod  
quod alia præstet suo supposito materiam frigi-  
dam & siccam, ut terræ forma, alia frigidam  
& humidam, &c. At ratione aliarum forma-  
rum advenientium actuatur & efficitur pars  
compositi: & tum formæ eæ imperfectiores,  
sunt veluti perfectiorum materia (quia dant  
esse genericum materiae, hoc est, habent ratio-  
nem actus tantum respectu materiae, non to-  
tius compositi.) proprium enim non efficiunt  
suppositum, peculiarem speciem, debitam  
quantitatem, dimensiones, &c. nisi dum jure  
suo unumquodq; per se existit, mundum con-  
stituens. Quum igitur materia prima ha-  
beat tantum potentiam ad recipiendas for-  
mas, nihil esset, quo hæc potentia in actum  
deduceretur, per dispositiones formæ intro-  
ducendæ aptas, si formis Elementorum non  
esset.

esset ornata: nam à se id non habet, quum  
nullius sit activitatis, nec à forma introdu-  
cenda, hæc enim prærequirit dispositiones,  
quæ in sola materia prima non recipiuntur,  
quum accidentia non insint nisi Enti in actu.  
15. Materia prima per se est insufficiens ad  
formas substantiales suscipiendas, nisi acciden-  
tibus in signiatur, & dispositionibus ad hanc  
vel illam (ex se n. indifferens est ad omnes)  
quæ inesse nequeunt nisi Enti in actu, ut modo  
dictum. Ergo necessario materia informari  
debit his formis imperfectis. Quocirca ad  
hanc materiam in corruptionibus fit resolutio:  
aliàs fieret resolutio in nihilum: cum formis  
orbata materia non habeat existentiam.

Notandum ad solvendas objectio-  
nes, quæcunq; adferri possunt contra hanc  
sententiam. 1. Formas Elementorum in mixto  
manentes & existentes haut esse alijs formis  
advenientibus impedimento, sed manus ma-  
terie præstare, & esse dispositiones necessarias.  
Non n. forma substantialis constituit supposito-  
rum actu, quando adest alia forma nobilior,  
ultima n. firma dat esse specificum supposito.  
2. In mixtione non corrumpi dimensiones cu-  
juslibet

quolibet Elementi. sed desinunt Elementa ha-  
bere figuram & determinationem, quam an-  
tea habebant, ac sunt sub communi termina-  
tione & dimensionibus, & efficitur una ma-  
teria ex pluribus, una communi dimensione  
coërcitæ. quantitas enim insequitur naturam  
materiæ, termini autem quantitatis cuiq; rei  
à sua forma specifica præscribuntur. Unde  
non fit unum mixtum varijs speciebus con-  
stans, neq; variæ quantitates varijs dimen-  
sionibus terminatæ. Sic etiam ex contrarie-  
tatibus Elementorum resultat una temperies,  
& qualitates fiunt communes, sicut Eleme-  
nta in mixto efficiuntur communis materia:  
aliàs quando Elementa sunt sui juris, quali-  
tates illas efficiunt in summo gradu; ideò  
forma advenit mixto, non ut actui, sed ut  
potentiæ, quam perficit: 3. In Elementis, sicut  
reliquis formis, duplicem esse actum: primum,  
qui aliquando appellatur virtus, & est ipsa  
forma per quam Elementum est id, quod est:  
& secundum, qui hoc in loco rectè nonnullis  
dicitur qualitas sensibilis, per quam Eleme-  
ntum est alterabile, miscibile &c. & hic re-  
tundit, remitti & alterari potest, saluo ma-  
nente

B

nente

nente primo. 4. Unius generationem esse alterius corruptionem, etiam verificari hoc in loco de forma mixti, quæ continet Elementa. Quamvis alij respondent, verum tantum esse in generatione unius elementi ex alio, aut in generationibus, quæ ex alijs mixtis sunt, non autem in ea, quæ fit immediate ex elementis per eorum mixtionem. 5. Elementa manere in mixtis in potentia, intelligi posse. 1. quia quum fuerint separata, formam habent, quæ possunt ad antiquum statum videlicet summum pervenire. 2. Quia sunt separabilia, non actu separata, ut ante mixtionem. Hæc ergo potentia non excludit omnem præsentiam, sed tantum modum quendam: sunt enim in mixto, sicut materia in materiato vel composito. 3. Quia licet maneant Elementa in mixtis secundum formas, tamen habent esse remissum in virtutibus: non enim in summo tunc se exerunt qualitates primæ, sicut in propria eorum natura. 4. Dixit Aristoteles virtutes misceri, quia alteratio, quæ prærequiritur ad mixtionem, propria est qualitatibus.

Atq; hinc etiam liquet contra tertiam opinionem

nionem qualitates non manere integras, sed  
remitti & contemperari. Nulla enim mixta  
pars est, quæ non sit mixta, hoc est, tempera-  
ta & à contrario affecta. Formas vero ipsas  
non remitti, recundi aut refrangi in mixto,  
sed manere integras, probatur contra opinio-  
nem quintam: Nam nulla substantia recipit  
magis vel minus, intensionem vel remissio-  
nem: habet enim esse suum in indivisibili posi-  
tum: alias enim sequeretur unum aerem esse  
magis aerem, quam alterum; & unum homi-  
nem esse magis hominem, quam alterum. Imò  
multa sunt accidentia naturalia, ut potentie  
animæ, quæ non recipiunt intensionem & re-  
missionem. Ergò multò minus formæ substan-  
tiales. Nam etiam imperfectissima substantia  
eminet supra gradum accidentium natura-  
lium. Nec effugient vim hujus axiomatis, qui  
aut intelligendum volunt, illud de substans-  
tijs imperfectioribus, & ad ulteriorem com-  
positionem non destinatis, aut cum Averroë  
& Zabarella de intensione & remissione, quæ  
fit absq; variatione speciei. Probandum enim  
posse substantiam intendi & remitti, quando  
vel ad compositionem ordinatur, vel quando



fit cum speciei mutatione, quod nemo Averroistarum adhuc probare potuit.

Dividitur mixtio in perfectam & imperfectam, sicut corpus mixtum, de quo capite sequenti.

---

CAP. II.

DE CORPORE MIXTO.

**S**equitur mixtionis vel generationis mixtionis finis & effectum, Corpus mixtum, Estq; corpus naturale ex Elementis compositum, plura motus naturalis principia habens.

Corpus enim simplex & mixtum, quia opponuntur; ideo oppositas habent definitiones.

Estq; aliud imperfectè mixtum, aliud perfectè mixtum. Imperfectè mixtum est, in quo aut non concurrunt omnia Elementa, aut si omnia, non sunt tamen perfectè alteratione & exactè invicem mixta & unita, sed leviter tantum alterata, & passivè qualitates ab activis non perfectè determinatæ. Unde etiam imperfectè mixta, quàm

quàm proximè ad unum aliquod Elementum  
accidunt. V. G. Vapor est saltim aqua leuiter  
aerem mutata: nuda facillè ad suam naturam  
redit.

Perfectè mixtum è contra, in quo omnia  
Elementa sunt perfectà alteratione unita,  
&c. ut inde fiat una natura certam speciem  
constituens, & diutius durans. Talia sunt  
omnia corpora mixta præter meteora.

Estque vel inanimatum, ut Fossile,  
vel animà præditum, & vel vegetan-  
te, ut planta, vel sentiente, ut animal,  
vel rationali, ut homo.

Deinde vel est Homogeneum vel  
Heterogeneum. Illius partes omnes sunt  
ejusdem naturæ, definitionis & nominis cum  
totò: hujus diuersæ. V. g. aurum est corpus  
similare, quia qualibet ejus pars est & dici-  
tur aurum. Planta est corpus dissimilare,  
quia partes ejus non omnes dicuntur planta;  
sed radix, caudex, cortex, medulla, ramus,  
folium, flos, fructus, semen, pappus, &c.

Causæ eadem heic sunt, quæ in mix-  
tione.

Affectioes i. Motus mixtus, ali-

B 3,

quando

quando tamen simplex secundum prævalens  
Elementum. Motus mixtus est ob plura prin-  
cipia moventia, ut habet definitio v. G. venti  
jam sursum, jam deorsum moventur, pro-  
ratione materie, qua constant. Animalia non  
tantum deorsum, sed progressivo quoque motu  
moventur. Aliquando Simplex: ut ap-  
paret in lapidibus, metallis & alijs, in quibus  
dominantur Elementa gravia, aqua & terra,  
idè deorsum feruntur

2. Locus secundum prævalens Elemen-  
tum, ut pisces in aqua sunt, ob aquæ in ijs do-  
minium. Animalia terrestria in terra, ob præ-  
dominium terræ.

3. Qualitates varia tam occulta, quam  
manifestæ primæ & secundæ. Videmus enim  
mixta esse calida vel frigida, lubrica vel ari-  
da, colorata, sapida, sonabilia, odorata, &c.  
alijs item qualitatibus prædita, quæ ad mani-  
festas reduci nunquam possunt, ut quod que-  
dam herbæ Sole oriente & meridiano pandan-  
tur, occidente claudantur Item quod hoc vel  
illud sit capiti appropriatum remedium, aliud  
pulmonibus, ventriculo, cordi, hepati &c.

4. Mixtum corpus plures potest habere for-  
mas

mas substantiales, at unum tantum specificam  
& ultimam (quâ ratione unius rei unicam  
tantum esse formam, dicitur) quæ unitatem  
essentiæ ei largitur; reliquas genericas, in-  
ter medias & subordinatas. Aliàs mixtum  
statim resolveretur in materiam primam,  
spoliatam formis omnibus: At resolvitur in  
Elementa, ut supra monstratum: ubi vero Ele-  
menta, ibi formæ Elementorum, & per conse-  
quens non sola materia prima. Formæ autem  
genericæ in respectu ad specificam & nobilio-  
rem habent se instar materiæ, vel certæ con-  
ditionis materiæ, absq; quibus in materia spe-  
cifica non esset. Conferatur cum his caput  
præcedens.

---

CAP. III.

DE TEMPERAMENTO  
CORPORIS MIXTI.

**Q**uamprimum facta est mixtio vel  
mixti generatio, statim tanquã effectus,  
soboles, finis & perfectio mixtionis, adeoq; pri-  
ma affectio corporis mixti oritur, videlicet

B 4

Tem-

Temperamentum, quod nihil aliud  
est, quam quatuor qualitatum pri-  
marum initio pugnantium, deinde  
ad moderationem reductarum pro-  
portionata unio, disponens mixtum  
ad actiones recte obeundas: *Vel:* sunt  
ipsae qualitates primae unitae & pro-  
portionaliter contemperatae.

*Definitio constat causis omnibus:* Genus  
locum Formae obtinens est unio propor-  
tionata, *vel* proportio, ordo congrua &  
proportionalis dispositio, harmonia omnium  
qualitatum: unde dicitur complexio,  
non enim sola primarum qualitatum unione  
describi potest, nisi in ea proportione, harmo-  
nia & mediocritate, quae inseruit formae cu-  
jusvis mixti in suo genere, tanquam prima-  
rio artifice, similitudine concentus in voce &  
fidibus.

Rejicimus ergo eorum sententiam, qui tem-  
peramentum esse putant i. Substantiam  
cum Fuchsis & alijs. Licet enim seorsim qua-  
litates absque substantijs, quibus insunt,  
non subsistant, neque temperiem constituent,  
ideo tamen temperamentum non est substan-  
tia:

tia:

ria: Hæc enim neq; ex accidentibus, ut qua-  
litatibus constari potest, neq; magis & minus  
suscipere. Galenus quidem aliquando vocat  
Temperamentum ipsam cujusque rei sub-  
stantiam, vel formam, per quam est, quod  
est. Et rursus alibi, ut de temperamentis  
passim qualitatem vocat, dicendo hoc respec-  
tu diverso. Nam in corpore animato hæ-  
rent hæc quatuor: Actio a facultate, facul-  
tas a forma pendet, mediante partu tempe-  
ramento, seu dispositione necessaria, sine qua  
forma non est efficax. Hinc Medicus sæpe  
proximam, evidentem & instrumentariam  
causam sumit pro primaria. 2. Ipsam  
mixtionem; Atq; sicut unione substan-  
tiarum Elementorum sit mixtio, mixtiq; ge-  
neratio, cujus materia sunt Elementa, sic  
unione qualitatum neq; oris, cujus illa sunt  
materia. Alij duplex temperamentum  
constituunt: unum ex permixtione sub-  
stantiarum, alterum ex mixtione quali-  
tatum. 3. Puram relationem. Nam  
1. unum temperamentum est alteri con-  
trarium; relationi vero nihil. 2. Mixto-  
rum functiones temperamentis adscribun-

A 5.

tur.

tur: relationes vero nullam operari videntur habent. 3. Non relationibus, sed qualitatibus mixtum disponitur: Quod autem definitur temperamentum qualitatum proportio, vel unio proportionata; non intelligendum, ac si in illa relatione tota essentia temperamenti consisteret: sed quia eam quasi connotatam necessario importat, ac si diceret, temperamentum esse primas qualitates sub certa proportionem, ut supra dictum. 4. Simpliciter qualitatem unam cum Avicenna & nonnullis Neotericis, ut Mercato &c. qui dixerunt qualitatem unam quandam emergere quintam primarum vires complectentem. Alij actione mutua quatuor qualitates corrumpi, atq; ita unam quandam simplicem novam qualitatem emergere. At hoc falsum Nam. 1. sicut Elementa non corrumpuntur, ita neq; earum qualitates. 2. Temperies qualitatum, quæ denominatur ex ea qualitate, quæ in mixtione dominium obtinuit, non est nova quædam & quinta qualitas sed una ex ijs, quæ actionem & passionem subiit, ideoq; ceteræ qualitates dictæ non abolentur, aut corrumpuntur, sed tantum remittuntur. 3. In mixto

tam

tam dissimilia & inter se pugnancia officia  
unâ simplici qualitate administrari non pos-  
sunt. 4. Quum una qualitas sibi non adver-  
setur, nulla fieret mutatio temperamenti per  
singulas qualitates, non esset in corpore vi-  
vente interna causa morbi senectutis, mor-  
tis, &c. quæ omnia absurda.

Temperamentum ergo sunt primæ quatuor  
qualitates ad mediocritatem seu temperiem  
reductæ, hoc est, sub certa proportionem.  
Qualitatibus materia denotatur; Pro-  
portione Forma. Efficiens est mu-  
tua actio & passio, vel pugna, qua ita  
ad mediocritatem reducuntur qualitates, ut  
consentiant & conspirent in unam complexio-  
nem, quæ dominatur ex qualitate principa-  
rum obtinente.

Finis. Est aptitudo ad actiones  
obeundas. Hinc lapis habet temperamen-  
tum frigidum & sicciusculum, ut sicut terra  
deorsum feratur.

Temperamentum aliud est æqua-  
le, aliud inæquale. Æquale dicitur  
temperamentum exquisitè temperatum, ad

B 6

pon-



pondus æqualè, vel proportionis arithmeticæ, quia ut in hac est æqualis, & par numerorum differentia, vel præcisa differentiarum seu intervallorum æqualitas, ita in hoc temperamento præcisa ingredientium æqualitas.

Estq; duplex. 1. Quando Elementa in mixta concurrunt æqualibus ponderibus, pari mole & magnitudine, &c. Hoc temperamentum fingi magis potest, quam reperiri, & si reperitur, consistere tamen diu non potest, sed in momento transit: Nam 1. mixtum in nullo loco quiesceret: nam si in terra, jam terra prædominaretur, & sic de reliquis. 2. Nec moveri posset: nam si deorsum, gravia in eo prævalerent Elementa, si jursum, levia. 3. Qualitas ætiosissima reliquas vinceret & absorberet. 4. Nulla mixtio fit, nisi ex qualitatibus primis, aliæ vincant, aliæ vincantur.

2. Quando non pari mole, sed viribus æqualibus concurrunt, ut æqualis primarum qualitatum sit mixtio, nullaq; exuberet aut prædominetur, sed omnes in pari sint gradu, tamquam in æquilibrio, quoad vires, humiditas sit tanta, quanta siccitas, Caliditas

tan-

tanta, quanta frigiditas. Hoc temperamen-  
tum uidem cogitari magis potest, quàm dari,  
& si dari, ob infinitas mutationes non diu  
subsistere. Ponitur interim doctrinæ causâ,  
cen reliquorum exemplar, & excessuum atq;  
defectuum regula. Unde Galenus tempera-  
mentum ad pondus, statuæ Polyleti compara-  
uit, quam artifices vocarunt Canonem, quòd  
partium omnium competentiam ad unguem  
haberet.

Inæquale temperamentum est qua-  
libetq; qualitarum concursus, conueniens  
tamen cuiusq; rei peculiari naturæ. Dicitur  
hoc temperamentum Geometricæ pro-  
portionis: quia sicut in hac non respicitur  
ad differentiarum sed proportionum æquali-  
tatem: ita hic non Elementorum aut quali-  
tatum æquipondium, sed talis est qualitarum  
inter se consensus, ut unius cuiusq; speciei na-  
turæ, actioni, & usui congruat. Geometrica  
enim proportio distribuit, ut cuiusq; dignitas  
postulat. Arithmetica idem omnibus. Dicitur  
etiam temperamentum ad iusticiam: nam  
ut iustitia tribuit cuiq; suum: ita hoc cuius  
naturæ largitur aptitudinem ad actiones.

B 7

obcun-

obeundas, pro sui dignitate. Non enim idem  
temperamentum debet esse hominis, leonis,  
canis, apis, stirpium, lapidum &c. sed convenie-  
bat, ut modo frigus vinceret calorem, modo  
humiditas siccitatem: quum enim diverse  
rerum sint operationes, ideo diversa tempera-  
menta pro ijs obeundis requiruntur. V. G. Os  
in corpore animalis est siccissimum, tale ta-  
men temperamentum vult ejus usus.

Temperamentum hoc ad justitiam i. Vel est  
simplex vel compositum. Simplex  
aliquando dicitur, quando totius similis  
omnium partium idem est temperamentum  
(è contra Compositum in toto dissimilari, ubi  
aliud est cerebri, aliud cordis &c.) sed hoc in  
loco est, cum una tantum qualitas prædomina-  
tur: estq; calidum, frigidum, humi-  
dum vel siccum. Calidum est, in quo Cali-  
ditas frigiditatem superat, humiditate &  
siccitate paribus, ut si mixtum aliquod sex  
gradus habeat caloris, tres humiditatis, & to-  
ridem siccitatis. Tale simplex dari non est im-  
possibile. Licet enim calor siccitatem gene-  
ret, tamen hoc paulatim facit, ut cum ca-  
lor humorem absorbit. Deinde manifestum  
est

est, calorem humidum humectare, ut tepens  
balneum, &c.

Compositum est, ubi binæ qualitates  
reliquas excedunt: Estq; quadruplex, secun-  
dum primarum qualitatum posibles combi-  
nationes. 1. Calidum & siccum, quod  
igneum dicitur, & in animalibus cholericum.  
2. Calidum & humidum, diciturq; æ-  
reum; in animalibus sanguineum. 3. Frigi-  
dum & humidum, quod aqueum, & in  
animalibus phlegmaticum. 4. Frigidum &  
siccum, terreum, & in animalibus melan-  
cholicum. Variant ergo temperamenta, ex  
Elementorum & qualitatum varia propor-  
tione, ut frigida dicantur, quibus aqueæ vel  
terreæ substantiæ plus obigit, quam alterius  
Elementi, singulis vero æstimatis ratione vi-  
riam & efficientiæ, non molis aut quantitatis.  
Unde Aristoteles 4. Meteor. 11. In quibus  
aqueæ natura plurimum, ea frigida sunt. Et  
Galenus 1. de Elementis c. 7. Cum volumus  
calescere, talem eligimus medicinam, in qua  
major sit portio ignis, quam contrarij Eleme-  
nti, ubi frigescere, viceversa.

2. Vel est Generale vel Particulare.

Gene-

Generale est totius vel homogenei, ubi totum  
& partes sunt unius temperamenti, vel hete-  
rogenei, surgens ex consensu omnium par-  
tium: ac si frigide partes calidis &c. tempe-  
rentur, ut harmonia totius inde oriatur. Spe-  
ciale est tantum in toto dissimilari, cujus par-  
tem at quam spectat, ut alia est temperatura  
ossis in animali, alia carnis &c. Interim cor  
E. G. licet maxime aestuet, temperatum est  
pro suo usu.

3. Vel absolute vel comparate confi-  
deratur. Absolute quando temperatum  
secundum suam naturam, nulli comparatum  
consideratur. Comparate quando cum  
alio. Ut in qualibet mixta specie, qualibet ha-  
bet propriam temperaturam, nature sue con-  
venientem in magna latitudine. Quamvis  
autem ita omnia mixta per se sint temperata,  
ad hominem tamen collata, intemperata ha-  
bentur, ut vel calida, vel frigida &c. Nam  
homo per se comparatus leoni est frigidus,  
Asino calidus. Atque ita confertur, vel conferr  
potest. i. Species cum specie. ut in ani-  
malium genere homo dicitur temperatissimus  
(sicut modo dictum) quia actiones habet per-  
fectissi-

fectissimas, tam anime; quam corporis. Ho-  
mo autem is dicitur temperatissimus, qui ha-  
bet inter homines actiones perfectissimas. At-  
que hoc corpus hominis *Onegro* est regula  
facultatum medicamentorum: ut quodcumq;  
medicamentum similem ejus temperamento  
caliditatem accendit, & corpus illud nec ca-  
lescit, nec humectat, *Onegro* vocatur:  
quod vero admotum vel assumptum ab homi-  
ne *Onegro* calescit, calidum, ideoq;  
plus igneae substantie habeat. Præterea  
quemadmodum in toto animalium genere  
temperatissimum est homo, ita in toto substan-  
tiarum genere est cutis hominum in vola ma-  
nus. 2. Individuum cum Individuo, ut  
homo, licet sit temperatissimum animal, ta-  
men quoad individua, unus homo est alio  
temperatior, vel in temperatior, calidior;  
frigidior &c. Si juvenis sene, imo alio juve-  
ne, sic canis alij individuo cani comparatus,  
esse potest humidus. At in comparatione ad  
hominem est siccus. 3. Individuum cum  
seipso, ut homo, quando comparatur cum  
seipso, sub diversitate ætatis, regionis, anni  
temporis, dietæ, variarum corporis constitu-  
tionum, &c.

Quia.

Quia autem ita late fusa sunt tempera-  
menta, unus enim in talibus altero potest esse  
calidior, hinc innumerabiles temperamen-  
torum varietates, adeoque proprietates corpo-  
ris, quia inequalis Elementorum quoad vi-  
res proportio, in mixtis varia est. At quia na-  
tura nihil infinitum patitur; si nimis ma-  
gnæ Elementorum portiones parvis commi-  
scentur, mixtio & temperamentum esse de-  
finit.

4. - Vel per se, vel per accidens, V. G.  
calidum per accidens, potius calefactum dici-  
tur, ut aqua fervens.

5. Vel actu, vel potentiâ. Actu cali-  
dum, frigidum &c. tactu judicatur. Poten-  
tiâ V. G. calidum est, quod assumptum parvâ  
intercedente mutatione nos calefacit, quum  
ejus vis à calore nostro in actum promovetur,  
ut, vinum, piper &c.

Quum itaque de temperamento alicujus  
mixti queritur, distinctè secundum  
dadas divisiones est respon-  
dendum.

CAP.

C A P. I V.  
DE COCTIONE.

**T**emperamentum in mixto genitum habet nonnunquam imperfectionem aliquam, quæ corrigenda est & perficienda coctionis beneficio. Tum enim res cocta dicitur, quando eam, quam in qualitatibus & temperamento habere debet, perfectionem & absoluteionem accepit. Non ergo hic specialem aliquam coctionem, vel in ventriculo, vel epate, &c. intelligimus, sed in genere talem quandam digestionem, per quam mixti in temperamento imperfectio aliqualis tollitur.

Est autem Coctio, juxta Philosophum, perfectio facta à calore naturali & proprio ex oppositis passivis, quæ propria cuiq; materia existunt.

Genus, quo Forma coctionis inculcatur est, Perfectio vel alteratio, seu actio perfectiva, hoc est, Ulterior quedam contemperatio vel temperamenti absolutio, ad certos usus in natura congruentes, ut pomum immaturum licet sit corpus perfectè mixtum, sit tamen perfectius ac usui esuiq; aptius,



aptius. si coctio vel maturatio accedat. Coctio  
ergo formaliter est alteratio, vel motus ab  
imperfectiore qualitate ad perfectiorem; non  
mutatio substantialis: licet hæc nonnunquam  
consequatur alterationem, ut in coctionibus  
animalis, interim tamen motus & mutatio  
confundi non debent. Modus coctionis talis  
est: quando in mixto jam per formam suam  
constituto adhuc aliqua est temperamenti  
imperfectio, & humidum nondum satis do-  
mitum, ut iustum ad siccum & reliquas qua-  
litates proportionem habeat: calor naturalis  
humidum, quod abundat, absorbit, & ut sine  
corporis noxa excerni queat, idoneum efficit:  
reliquum vero quod in quantitate amplius  
non peccat, coërcet, terminat, & ut cum sicco,  
quantum mixti natura requirit, uniri queat,  
aptum reddit: ut uberius ex causis que se-  
quuntur, manifestum evadet.

Efficiens principalis ex definitione  
est Calor internus, proprius & natu-  
ralis, vel cuiq; corpori insitus, & ad  
ejus temperamentum pertinens V. G.  
pomum maturescens in se calorem habet, cu-  
jus beneficio maturatur sic quodvis metal-  
lum.

lum vel minerale, in se habet suum calorem, quo terræ visceribus concoquitur, & paulatim maturescat, diuturno tamen temporis tractu ob excitantium externorum calefacientium inopiam; hæc vero si accedant, ad perfectionem & maturationem sat citò promoventur metalla.

Etenim efficiens Adjuvans est causa quæcumq; externa, accedens & juvans internum calorem, quo meliùs coquat, ut calor Solis ignis, & quorumcunq; calefacientium, V. G. Calor Solis adjuvat maturationem fructuum. Manus admodò tumorem præter naturam maturat. &c.

Notandum autem calorem internum dici aliquando ratione rei coquentis, vel quando calor est extra rem, quæ concoquitur, sed tamen in ea, quæ concoquit. Ut quando alimentum in ventriculo coquitur, dicitur calor internus etiam, qui est in coquente, videlicet ventriculo. Aliàs dicitur calor internus ratione rei coquendæ, in qua est. Ut in pomo vel alio fructu, qui maturescit. Unde etiam fructus ab arboribus decerpti, & in loco à radijs solaribus remoto servati, ob calorem infi-

tum magis maturefcunt. Sic ignis calor nunquam digereret carnem elixandam vel affandam, nisi excitaret calorem intrinsecum & naturalem ipsius carnis. Succus ex olivâ recens expressus non dolij calore, sed suo interno præcipuè fit oleum, juvante tamen externo ambiente. Sic ut recte monet Philosophus 4. Meteor. 2. Cibi etiam in ventriculo, calore interno & proprio ciborum coquantur (licet non solo) ubi ait Vallesius in hunc locum, Cibi in corpore coctionem esse elixationi similem, juxta Aristotelem loco dicto cap. 3. Elixationem autem vult Vallesius esse coctionem compositam ex liquatione & concoctione: Concoctionem ait esse à calore ciborum, liquationem & assimilationem à calore & substantia ventriculi. Sed concoctionis prout alteratio est, vim non excludere oportet à ventriculo tanquam causa adjuvante, quod contra Vallesium notandum. Nec adè mirandum, pomi V. G. calore & ventris factum esse ex eo chylum; cum non miremur ex flore fructum extramulo florem, ex nucleo ramum Solis & proprio calore nuclei factum.

Materia sunt passivæ qualitates,  
que

quæ à calore terminari debent, & ad iustans  
reducit temperiem. Humidum præcipuè,  
quod oportet compingi & solidari, ut super-  
fluum tollatur; siccum attenuari, ne nimis  
terrestre sit. Interim in coctione humiditas  
magis est materia, quam siccitas. Illa enim  
facit, ut partes non benè consistant in mixto,  
maximè patitur à calore, eiq; maximè ad-  
versatur. Dicuntur hæ passivæ oppositæ 1. ra-  
tione agentis: agens enim & patiens oppo-  
nuntur relativè. 2. Sub invicem; calor au-  
tem eas terminat, castigat, & ab imperfectione  
ad perfectionem reducit. Ideo enim res  
sunt imperfectæ & crudæ, quia redundans  
multo humore superfluo malè cum sicca par-  
tibus mixto, à quo calor obruitur.

Finis, si consideratur respectu alterius  
formæ introducendæ ex materia cocta; tum  
forma substantialis est finis ut liquet in coctio-  
nibus animalium. Si respectu perfectionis ac-  
cidentalis, tum finis est acquisitio iustæ qua-  
litatis, usui ac commodatioris, ut patet in mu-  
sto. seu vino recenti, quod tum dicitur coctum,  
quando in vinum est conversum. Sic ulcera  
dicuntur matura & cocta, quando genitum est  
pus excretioni aptum.

Effe-

Effecta Coctionis adeoq; proprie-  
tates concoctorum sunt.

I. Caliditas. Quod res omnis coctione  
calidior fiat, & calidiora sint cocta incoctis  
calore naturali & proprio, probatur. 1. Nam  
calor vestigia caliditatis in re cocta relinquit.  
2. Perfectionem comparat sibi in coctione, &  
opposita patibilia melius vincit. 3. Experien-  
tia. Vina vetera calidiora sunt recentibus,  
quia diutius concocta in dolijs. Quod autem  
potu vini recentioris plures oriuntur affectio-  
nes calidae, febres ardentes, phrenitides,  
pleuritides &c. fit, quia frigidius quum sit,  
minus abit in urinas & insensibilem vapo-  
rem sed fervens (est enim mustum) diutius  
moratur in visceribus.

II. Crassities. Cocta evadunt crassiora;  
solidiora, compactiora, melioris molis & con-  
sistentiae (non statim duriora, ut liquet in po-  
nis tostis, carnibus & piscibus coctis &c. ac  
si fierent ex spiritalibus vel aëreis aquae, ex  
aqueis terrea, ut habet Aristoteles. Nam 1.  
in coctione humidum abundans à calore ab-  
sumitur, & in halitum convertitur. reman-  
entibus partibus crassis: quo pacto calor li-  
cet

tet per se attenuet, hac ratione per accidens  
incaffat. Hinc excrementa coctionis in cor-  
pore humano iudicantur bona & cocta, si sine  
crassiuscula: contra, si tenuia. Hinc in bibo-  
nibus urina est tenuis & limpida, ob crudita-  
tem & inconcoctionem. 2. Calor internus,  
absumpto humido superfluo, reliquum humi-  
dum cum sicco bene iungit & unit.

Manet autem Axioma verum: Omnia,  
quæ coquantur, crassescere, si 1. non  
fiat secretio vel separatio crassiorum partium,  
ut excrementorum in coctionibus animalium,  
salis, capitis mortui, & consimilium crassio-  
rum & terrestrium in destillationibus, quan-  
do spirituosas substantias elicimus; sic mu-  
stum, separatis fecibus terrestribus, fit tenue,  
& vinum. 2. Si intelligatur de nuda coctione,  
id est, alteratione perfecta in subjecto sensi-  
bili ut eodem; non simul de mutatione sub-  
stantiali, quæ aliquando consequitur, ut in  
coctionibus animalium, ubi non tantum est  
alteratio per calorem, sed insimul mutatio sub-  
stantialis à forma substantiali partis, vel Me-  
dicè loquendo, à substantia partis propria, ut  
sanguificatio est à substantia vel carne hepa-  
tis,

C

is,

tie, &c. unde rectè Connimbricenses de Gene-  
rat. & Corruptione c. 5. quæst. 3. Art. 1 Chyli  
confectio & elaboratio, non alteratrics dun-  
taxat virtuti adscribi debet, sed etiam ac  
multò magis ipsi formæ substantiali, cuius est  
instrumentum.

Ex his duabus causis Chylus coctus ex pane  
non est crassior pane, nec sanguis chylo aut pi-  
tuitâ, nec spiritus sanguine, ex quo fit, &c.  
atq; ita difficultates præcipuæ vitari possunt,  
quibus alij intricati tenentur. Dixerunt au-  
tem pleriq; respiciendum in alimento non ad  
excrementitias portiones, sed illud tantum,  
quod est vera alimentũ, hoc est, quod tran-  
sit in substantiam nutriti; & hoc esse paucis-  
simum, tenue, succosum & humidum; quod  
in coctione fiat crassius. At quis probabit, spi-  
ritus animalis materiam esse tenuiorem spiri-  
tu animali inde generato?

III. Dulcedo. Concocta fiunt crudis dul-  
ciora, ut ex natura dulcedinis notum, & præ-  
terea ex sensu V. G. Castaneæ crudæ sunt  
acerbæ, tostæ vel elixatæ fiunt dulces.

Opposita, considerando non morus ipsos,  
sed perfectionem aut imperfectionem per mo-  
tum

tum comparatum, sunt 1. à *πρὸς* *ψίκα*, incoctio,  
indigestio seu cruditas. 2. Putredo seu inqui-  
namentum per putredinem comparatum; hoc  
tamen magis, quàm illud, sicut avaritia ma-  
gis liberalitati contraria, quàm prodigalitas,  
ita longius à concoctionis perfectione abest pu-  
tredinis, quàm cruditati imperfectio. Si mo-  
tus intelligantur, cruditati, cum non sit mo-  
tus concoctio non est contraria, sed putredini.  
Coctum enim non potest rursus crudum fi-  
ri, sed si à perfectione discedit, putrescit: nam  
1. Coctio facta est corroborazione caloris insiti,  
& oppositarum passivarum permixtione.  
Amittitur ergo illius debilitate, & harum dis-  
solutione. Atqui hæc est putredo. 2. Inter co-  
quendum consumptus est humor crudus & in-  
utilis, qui redire nequit. 3. Patet experientia.  
Quando mixta per concoctionem ad perfectio-  
nem devenere, & ab ea incipiunt deficere,  
non redeunt. V. G. poma ad cruditatem, plan-  
ta ad tenellum virorem, sed omnia hæc ad  
marcorem & putredinem.

Cruda autem dicuntur, quæ abun-  
dant multo humido malè cum siccis  
partibus mixto, quod calor ob im-

C 2

becil



becillitatem exactè superare non potest, quippe qui nimio humido obruitur. Caloris igitur est defectus, id est, internum frigus: in oppositis patibilibus mala permixtio.

Dividitur Coctio i. in Perfectam, que justo modo & tempore absolvitur, & Imperfectam ob caloris à sup̄mergias in excessu vel defectu. Si deficit calor, fit Βαγδονεψία, id est, tardior, quàm par est coctio: si abundat; ὀξυνεψία, quàm par est, & ad combustionem promoveretur.

Galenus & Medici concoctionem perfectam vocant eam, que terminatur ad nutritionem, ut est Coctio alimentorum; imperfectam, que tantum ad correctionem quandam pravarum qualitatum, & mediocrem quandam substantiæ modum, qualis est, que cohibet putredinem excrementorum. Alij ex Aristotele colligunt, imperfectas coctiones vocari, que cum alijs alterationibus sunt mixtæ, cum liquatione, ut est elixatio; cum utione, ut asfatio; cum putredine aliqua, ut maturatio omnium

omnium excrementorum, fecum alvi, urinæ,  
puris in ulceribus, sordium in oculis, materiæ  
morbi, quæ non potest jam alere, alteratio,  
&c. quas alterationes passim Hippocrates &  
Galenus jam coctiones, jam quasdam putre-  
scencias vocant. Atq; has omnes coctiones  
vocant nonnulli imperfectas, quia non du-  
cunt ad perfectiorem aliam speciem, sed quen-  
dam modum substantiæ: Fatentur tamen esse  
proprie coctiones (licet non tam perfectæ) quia  
calor materiam atq; humorem domuit. Atq;  
ijs, qui de putredine dubitant, respondent, sic-  
ut idem corpus potest aliquatenus esse cali-  
dum & frigidum, remisiss gradibus, & ut ob-  
liquus motus est medius inter ascensum &  
descensum: ita e. g. suppurationem esse alte-  
rationis quoddam medium genus inter conco-  
ctionem & putredinem, cum & forma, in  
quam res incidit, sit mediæ naturæ: Et Effi-  
ciens; dum in parte merè naturali calore præ-  
ditâ sanguis sit nutritionis materia, in calore  
exorbitante pus, &c. nam & putredinis que-  
dam signa pus habet, videlicet feetorem (exi-  
guum tamen, si pus est optimum) & coctionis,  
ut mediocrem crassitiem, &c.

C 3.

2. Di-

2. Dividitur Coctio quasi in species tres: Murationem, Elixationem & Affationem.

Dixi quasi in species. Coctio enim non est earum univocum genus, sed analogicum. Definitio enim digestionis verificatur principaliter de muratione, tanquam primario analogato, secundario de elixatione & affatione, & jam ante eorum etiam sententiam percipimus, qui elixationem & affationem non tam coctionis species statuunt, quam alerationes mixtas coctionis aliquatenus participes. Definitio ergo coctionis murationi precipue accommodanda.

Proprie est ea perfectio, quæ ortui naturali succedit: ut fructus primum generantur, deinde maturantur; sic etiam animalia. Aristoteles specialiter nimis definit murationem, prout in fructibus est; quod sit concoctio alimenti ejus, quod est in pericarpio, id est, carne vel pulpâ vestiente semina aut nucleos. Est enim nota perfectæ maturitatis, cum semen fructus est secundum (& nigrescit in nonnullis, ut in pomis, pyris, &c.) & idoneum, ut ex eo alius fructus generetur.

Sic

Sic res omnes & animalia, quum possunt generare, dicuntur in naturalibus functionibus perfectionem assequuta.

Analogice & per metaphoram plus atq; excrementa dicuntur maturari (coquuntur tamen proprie, sed per metaphoram maturantur) quando sunt crassiora, viscosiora, solidiora, flavescentia. Immatura vero & cruda sunt aquosa, flatulenta, pallidiora, &c.

Maturitati opponitur immaturitas, que ex contrario elucescit. Manet res immatura, vel quod calor sit minor, quam possit coercere, vel humor copiosior, quam ut coerceatur.

Ex dictis colligit Aristoteles aquam non posse dici maturam, quum coqui, immo elixari proprie non possit, sed tamen per metaphoram & leviter (non enim elixationes aque sunt perfectæ) cum non possit crassescere satis sensibilibiter; quia nihil aut parum (non enim est pura aqua, aut purum Elementum, sed intelligitur hic aquam, quâ utimur) siccitatis habet, quod cum humido misceatur, sed plus humidi habet, quam ut possit à calore coerceri, quem habent exiguum aut nullum.

C 4

Hinc

Hinc Medici asserunt aquam non nutri-  
re: tum quia non potest coqui, tum quia  
nihil lenti aut pinguis habet, quod affigi po-  
sit membris, quale in nutritione requiritur.  
Hinc succorum, qui sunt aquae similes in modo  
substantiae, ut in hydropicis, non expectat Ga-  
lenus concoctionem, sed expurgat statim, ut  
incoctiles: idemq; inter initia tenues &  
aquosos succos evacuaere jubet. Haec de Matu-  
ratione.

Elixatio est coctio à calore humi-  
do non pingui, ejus indeterminati,  
quod est in humido.

Efficiens est calor conjunctus cum humido,  
continens & ambiens rem elixandam. V. G.  
Carnes elixandae humori immerguntur.

Dicitur humidum non pingue: ut  
sunt aqua, vinum, acetum, &c. ut distingua-  
tur elixatio à frixione, quae fit à calore re-  
sidente in humido pingui, ut sunt oleum, bu-  
tyrum, adeps liquata, &c. ut quum ova fri-  
gantur in sartagine, non aqua adhibetur, sed  
oleum vel butyrum, vel pinguedo. Secunda  
differentia est, quod quae elixantur, quodam-  
modo desiccantur, & fiunt exsucca, humido  
exter-

externo extrahente internum: quæ frigitur, potius attrahunt ad se imbibuntq; humidum pingue. Tertio, juxta Aristotelem res elixanda non tam patitur à calore sicco, qui est in igne, quàm à calore humidi continentis, quod ab igni externo patitur; res verò quæ frigitur, magis patitur ab igni externo, quàm humido pingui continente, ut liquet: quia extremitas ejus resiccatur, ac si ureretur: Quod verò elixatur, non item; sed laxius secundum se totum fit, quia patitur à calore humido. Causa non est in sartagine vel testa: potest enim res frigi vel elixari in hoc vel illo vase, sed in natura liquoris causa est. Pinguis liquor aëreo abundat humore, ideoq; licet qualitatibus activis temperatus facile inflammatur: non pinguis abundat humore aqueo, in quo vis ignea hebetatur. Per pinguem vis ignea facile perfertur ad ova V. G. ut ferè urantur, & oleum consumant, sicut lapis ignitus in aquam immissus eam absumit. Per aquam non ita defertur vis ignis, sed ipsa elixatur metaphoricè, à qua carnes elixantur propriè. Videtur ergo Frixio magis ad affationem referri, quàm elixationem.

C. 5.

Mate.

Materia est illud, quod indeter-  
minatam est in humido interno rei  
elixandæ, (vel humiditas superflua, aquea  
aut aerea) quæ adhuc in re elixanda est, &  
per calorem extrahenda ac vincenda. Ideo  
enim dicitur humiditas indeterminata, quia  
non usquam habet proportionem ad succi-  
tatem.

Itaq; elixari propriè non possunt,  
1. Quæ terrestri naturæ sunt, & nullam ferè  
habent humiditatem, ut lapides, &c. 2. Quæ  
quidem habent humiditatem, sed cum sicco  
tam probè compactam, ut à calore cum hu-  
mido conjuncto educi & vinci non possit, ceu  
sunt metalla, ligna, ossa, cornua, &c. Unde  
etiam difficilius elixantur carnes seniorum  
animalium, quàm juniorum, quia magis sunt  
terreæ, siccæ & solidæ, humoremq; tenacius  
cum sicco junctum habent.

Sed propriè elixari consentur, quæ in hu-  
mido coquuntur, ut carnes, quæ lixantur;  
Per metaphoram 1. Res solidiores, quæ ab  
igne expurgantur, ut metalla, aurum, argen-  
tum, &c. 2. Res solidæ, quæ aliquo modo  
emolliantur in calido succo, etsi non ita siane  
utilia

utilia aut esui apta, ut lignum in aqua elixari dicitur.

3. Res liquidæ cum ab igne in saporem quandam utilem permutantur, ut mustum, quod quando in saram vertitur, elixatur. 4. Liquidæ, quæ secundum alias partes crassescunt, secundum alias attenuantur, ut lac elixatur, separate sero à caseosâ parte & pingui. Unde Aristoteles ait: Elixari posse, quæ vel crassescere possunt, vel contractiora & graviora fieri, vel quorum partes sunt contrariæ, ut quum secernuntur, aliæ crassescant, aliæ attenuentur, ut lac in serum & coagulum. Nullo verò dictorum modorum ait oleum posse elixari per se, id est, solum (non cum alia re mixtum, multa enim oleo condita elixantur) quum non crassescere possit, densari, gravius fieri, neque partes ejus separari, &c. Intelligere autem oleum elixari non posse, scilicet ad ardentem ignem, quo oleum quum totum sit pingue, facile inflammatur, & licet tenues aliquot partes dissolutæ exspirent, non tamen crassescit: nam reliquæ partes inflammatae tenuantur, unde oleum ad talē ignem fit tenuius, gustui mordacius, tussim irritans, mordens



oculos &c. At docet Galenus modum tenue ex-  
crementum ab oleo separandi, ut oleum al-  
bum fiat & crassum, quod fit, vase aliquo ori-  
latis, oleo pleno, in fervente sole agitato, aut  
supponendo calidos cineres (habet enim oleum,  
uti lac & alij succi partes crassas, tenues &  
mediocres) calor enim mitis tenuissimum  
excrementum dissolvit, crassis partibus non  
inflammatis, unde calidum, crassiusculum &  
milde fit.

Modus ergo Elixationis hic est. Ca-  
lor igneus in humido non pingui receptus rem-  
elixandam calefacit & humectat, poros ape-  
rit, & sic humorem superfluum extrahit (re-  
liquum humoris, quod remanet, digerit, subi-  
git, domat & terminat) maxime vero ae-  
reum, blandum & gratum. Unde juscula car-  
nium ob humorem aereum commixtum sunt  
maxime sapida, nutritiva & salubria, magis,  
quam ipsa caro. Succedit in locum humi-  
dum aqueum, quod non est ejus virtutis.

Proprietas rei elixatae respectiva i.  
Aristoteli 4. Meteor. est. Quod sit siccior  
alsâ; quamvis alibi 20. Probl. 5. contra-  
rium statuat, quod ipsum contrarium Galenus  
vult.

vult & ratio ab experimento: Nam quæ elixantur, sunt in seipsis laxiora & molliora, ergo & humidiora. Primus ergo locus intelligendus est, quoad carentiam humoris magis aerei, quàm aquei. Deinde vocat elixa sicca quasi exsucca. Interim potest succus à re, per quam sparsus erat, esse expressus, ipsâ re in se factâ humidior: non enim succus elixans extrahit à re elixanda humorem nativum partium, qui ex primis est Elementu (tum enim putredo potius esset) quiq; potius cum sicco mixtionem comparat, atq; ita partes solide nullâ sui parte sicciores evadunt. At succus in vasis & alijs spacijs exhaustus esse potest.

2. Minor dulcedo, quàm rei frixæ, quippe quæ dulcedinem aliunde attraxit; at major salubritas, quia in re frixa humidum internum superfluum non ita est absumptum, atq; in elixa & assa: deinde multum alieni pinguis attractum est, quod ventriculo nocivum.

Opposita Elixationis sunt i.  $\mu\acute{o}\lambda\upsilon\sigma\iota\varsigma$  ex defectu caloris, hoc est, inchoata elixatio, vel inquinatio, alij vocant cruditatem.

Cf

Hæc

Huc etiam refer: quando humor est immodicus continens seu ambiens, calori non proportionatus 2. Ex caloris redundantia: quod oppositum non tam est inelixatio aut cruditas, quam ustio: quale est in cibus iam amaris redditus, aut medicamentis corruptis, non ita lento, ut oportuit, igne coctis, immo in cibus humani ventriculi: quorum vapor nidiosum quoddam redolet; ut ructus sæpe delirar.

Assatio est coctio humidum interni facta à calore sicco. Quando videlicet humidum superfluum à calore sicco absumitur, reliquo magis collecto & contracto.

Materia ergo est eadem, quæ elixationis. Unde assari non possunt ligna, &c. sed uri; neq; aqua, aut quæ valde aquea.

Efficiens est Calor humiditatem extrahens, & quia siccus est, exteriores partes siccatur, atq; ferè incrustat. Hinc interiores partes humidiores manent. Contra in Elixatione interiora sunt sicciora, quàm exteriora, quibus humor affusus est aqueus, aereo extracto, quem maxima ex parte retinent assata, ideoq; elixis sunt salubriora

Assa-

Assationi opponitur 1. Tostio seu adu-  
stio: quando res assanda nimio calore adu-  
ritur, nullo plane humore remanente. 2. στέ-  
ρευσις, levis condensatio, semistulatio vel  
imperfecta & incoacta assatio à caloris defectu  
orta, vel ob aquæ multitudinem, quâ res, quæ  
assatur, affluit. Unde multum adhuc super-  
flui humidi intus remanet, adeoq; cruditas  
aliqua. Huic multæ semicoctiones sunt affines,  
ut piscium, carniarum, per fenum, salem, &c.  
Tartarorum carnes equinas sub Ephippijs ma-  
cerantium, &c. 3. Mixtum quid ex utroq;  
repugnanti: quando videlicet partes exte-  
riores statim uruntur, intimis plane crudis re-  
lictis, ex imperitia coqui, cui majori arte opus  
ad assandum, quàm elixandum. Calor enim  
humidus blandius & æqualius calefacit; sic-  
cus violentior est. Quare lento & moderatè  
structo igne res assanda atq; versanda, & sub-  
inde aliquid pinguedinis adstillandum, ne  
nimis citò indurentur partes exteriores,  
adeoq; pori obstruantur, alioqui ca-  
lor ad interiora penetrare  
nequit.

CAP.

CAP. V.  
DE MIXTI CORRUPTIO-  
NE ET IMPRIMIS DE  
PUTREDINE.

**M**ixtionem vel mixti generationem su-  
pra consideravimus: quæq; eam con-  
sequuntur; restat, interitum ejusdem ex-  
pendamus.

Est autem mixti corruptio, vel na-  
turalis, ut, Putredo; vel violenta, ut  
combustio & petrificatio.

De naturali egit Philosophus in 4. Meteor.  
c. 1. (hujus subjectum est corpus perfectè mix-  
tum simile; nam de dissimilaribus partibus  
in sequentibus libris de animalibus & plantis  
se acturum pollicetur) exactè; de violentâ  
non nisi obiter, quia est accidentalis; Et e. g.  
Combustionem adduxit, aliam interim vio-  
lentam non excludens, quod contra Merce-  
narium notandum; qui non nisi unicam vio-  
lentam, videl. Combustionem agnoscit. Pos-  
sunt autem omnes dici naturales, quatenus  
sunt à causa naturali & naturaliter agente;  
omnesq; violentæ, quatenus principium extra  
est, E. G. in Putredine calor externus.

Intr-

Interim naturalis corruptionis nomine ve-  
nit Putredo (etiamsi fiat ab externo principio,  
& contra naturam mixti, sui conservationem,  
appetentis) quia fit secundum naturam univer-  
salis institutum, postulans, ut omnia orta in-  
teritui sint obnoxia, & tandem resolvantur  
in Elementa, ex quibus constant, id quod se-  
per solam putredinem. In combustionem enim  
ignis vertit rem in suam naturam, exceptâ  
parte aliqua terre, vel cineris naturâ, quæ  
relinquitur, affectâ tamen calore igneo. Sic Pe-  
trificatio in terram vel terreum potius quid  
totum vertit. Errant ergo Albertus, Bucca-  
ferreus & ij qui naturalem vocant, 1. Quod  
internus calor rei putrescibilis junctus exter-  
no fiat igneus & destruens naturam mixti.  
Atqui tum non esset amplius naturalis. 2.  
Quod paulatim fiat, violenta autem celeriter.  
Atqui modus rei insequitur rem aliquam na-  
turalem vel violentam, quæ causat. 3. Ratio-  
ne principij passivi vel aptitudinis materiæ.  
Ita enim omnes sunt naturales. 4. Quod mix-  
tum habeat naturalem propensionem ad pu-  
tredinem. Hoc falsum, ratione naturæ propriæ  
seu particularis, quæ vult conservari, nisi  
dicat,

Aicas, quatenus subdita est legi naturæ uni-  
versalis.

Violentis corruptionibus vult Argenterius  
additas alias; ut quæ sunt gladio, suspendio,  
morbo, submersione, &c. Sed hæc non compe-  
tant mixto ut mixtum est, vel ex Elementis  
constans, sed ut animatum. Nam si perit ani-  
mal gladio, morbo, &c. manet adhuc mixto,  
quæ in vivente erat. Sic non potest res inani-  
mata interire gladio, suspendio, &c.

Etenim tribus modis naturalibus intere-  
unt corpora naturalia. 1. Mutuâ actione &  
passione & corporum cœlestium actione, ut  
corpora simplicia. 2. Humidi naturalis con-  
sumptione à proprio naturali calore, quæ con-  
sumptio dicitur mors; ut animata: quæ si an-  
te statutum tempus pereunt gladio, submersio-  
ne, bombustione, &c. violentâ morte extin-  
guuntur. 3. Per putredinem & dissolutionem  
in Elementa (ut mixtum inanimatum qua-  
tenus est mixtum) quæ generationi mixti op-  
ponitur. Decretum enim naturæ universalis  
est, ut ex Elementis constans, tandem in Ele-  
menta dissolvatur, & omnia orta aliquando  
moriantur, etiam lapides, metalla, &c. quæ  
alias

aliās diutissimè durant. Nam mors etiam  
saxis marmoribusq; venit. Apparet hoc ex  
erugine, ferrugine, &c.

Putredinem verò perfectam, totalem seu  
factam ( non partialem, quæ concoctioni, ut  
supra dictum, potius est contraria, atq; ita ut  
concoctio finitur in generationem, concoctio-  
ne enim quadam ex semine fit frutex: ita  
putredo in interitum, id est, partialis putredo  
in totalem ) intelligi generationi simplici  
esse contrariam, quod liquet ex modo, quo  
fit utraq;. Generatio simplex fit, quando hu-  
midum cum siccis determinatur à qualitati-  
bus activis, & calor humido dominatur, illud  
cum siccis jungit atq; unit; ita vice versâ  
in putredine calor deficit & exstinguitur,  
unde humidum rectore destitutum ad partes  
extremas deferitur, à siccis dissolvitur, & ci-  
nis vel pulvis relinquitur: atq; ita res natu-  
raliter interit.

Est autem Putredo Aristoteli cor-  
ruptio naturalis, caloris proprii &  
naturalis, in unoquoq; humido, fa-  
cta ab aliena caliditate, quæ est am-  
bientis.

Hæc



Hec definitio 1. perfecta est, causalis simul  
& essentialis, solo positu terminarum à de-  
monstratione differens. Sunt enim hic, sicut  
in perfecta accidentis definitione tres partes:  
Genus vel majus extremum, corruptio caloris  
proprij: deinde subjectum vel minor termi-  
nus, humidum: & tandem causa vel medius  
terminus, Calor ambientis. 2. Competit pu-  
tredini, non ut corruptioni strictè sumptæ,  
pro solo termino, vel forme destructione in  
momento; sed sumptæ latius, pro termino  
unà cum prævia alteratione. Genus est

Corruptio (quia putredo Generationi  
simplici opponitur) quæ formam putredinis  
indicat, si strictè sumatur: sin latius; formaliter  
seu essentialiter Putredo erit separatio hu-  
midi à sicco, quæ fit in tempore quod indicavit  
Aristoteles, dicens esse corruptionem caloris:  
qualitas autem non corrumpitur vel evoca-  
tur, nisi in tempore. Quando autem eo usq;  
separatio procedit, ut tota latitudo, intra cu-  
jus terminos forma mixti servari potest, de-  
structa sit, tum interit forma mixti subito.  
Quare quemadmodum generatio mixti est  
unio & terminatio humidum cum sicco, operan-  
tibus.

tibus activis: sic ejusdem interitus est humidi  
& sicci dissolutio ex defectu activarum im-  
potentium imperare passivis. Sub proprii ergo  
caloris corruptione implicite comprehenditur  
separatio humidi à sicco, quæ illam necessariò  
consequitur tanquã causam (atq; ita comple-  
xus est Aristoteles, ne essent quatuor termini)  
& calorem ambientis tanquam causam causæ,  
unde paulò antè dixerat Philosophus, putre-  
dinem esse humidi & sicci separationem or-  
tam à corruptione proprii caloris facta à con-  
tinate.

Dicitur autem corruptio naturalis, ad  
discrimen violentæ, & ut sciatur, cujus rei sit  
corruptio, additur caloris (videlicet in  
mixto, quã mixto, non quã animato) cui duo  
adjungit Arist. Epitheta non frustra, i. dicitur  
calor proprius (quod præmittitur,  
quia calor in putredine primùm corrumpitur,  
quã est proprius huic vel illi mixto) vel  
proportionatus, quatenus (seorsim considera-  
tur in hoc vel illo mixto cum certa proportio-  
ne ad humidum, id est, prout dominatur hu-  
mido & sicco in certo gradu ac mensura. 2.  
Naturalis, quatenus simpliciter humido  
imperat

imperat, cum sicco illud miscet, unit & regit,  
quod de omni mixto intelligitur, V. G. Ani-  
mal, planta, metalla, calorem habent natu-  
ralem omnia, at qualibet eorum nature sue  
commensuratum vel proportionatum. Sic ca-  
daver, calore proprio evocato, dicitur putre-  
scere, quia calor mixto in hac specie non am-  
plius est proportionatus: mox autem calidum  
magis magisque exhalat, ut humidum simplici-  
ter amplius regere non queat, sed liberè huc  
atque illuc diffuat, à sicco solvatur, & ita hu-  
mido tandem toto à calore externo consum-  
pto pulvis remanet. Unde cadavera antiqua  
licet videantur integra vel digito tacta  
collabuntur.

Est autem Putredo totalis corruptio  
totalis caloris, quatenus est & naturalis &  
proprius, hoc est, & secundum dominium &  
secundum mensuram: Partialis putredo  
vel recessus à naturali constitutione seu tem-  
peramento, est tantum caloris ab esse natura-  
li ad esse præter naturam mutatio, vel corru-  
ptio caloris, quatenus est certo mixti generi  
proprius, vernaculus, commensuratus.

Deinde dicitur corruptio caloris, non ut ca-  
lor

lor est, sed ut naturalis est, id est, respectu mixti, quod calore privatur, at respectu caloris secundum se, est tantum ejus educio & attractio à simili, non corruptio à contrario. Educitur, inquam, calor naturalis. Nam in putredine patitur, non agit: non separatur humidum à sicco, sed non potest continere.

Queritur autem ulterius, quomodo in putredine calor corrumpatur, An per intensiorem vel per remissionem? R. In totali & absoluta putredine caloris est defectus & penuria: Exit enim & exhalat ab ambiente calido evocatus; postea vero etiam humidum educitur, & ita separatio humidi à sicco insequitur proprium caloris exitum, tanquam priorem (altem naturam; cum calor in mixto sit causa conjunctionis humidum cum sicco; nec statim exitum humidum sequitur exitus caloris, nam multa si exsiccantur, à putredine præservantur & diutius durant.

At in putredine partiali, fiente, incipiente, quando externus calor agit in mixtum calefaciendo, mixtum redditur calidius (non enim duo numero distincti calores sunt

(sunt in re eadem) calore alieno & adventi-  
ticio, non naturali, cuius tali intensione  
mixtum suo modo dici potest frigidum,  
(quod revera tandem in fine fit frigidum;  
nam licet quaedam in fine putredinis sapo-  
rem habeant amarum aut acrem, tamen  
fit hoc earum particularum gratia, qua pu-  
tredinis calorem retinent) sublata enim pro-  
portione ad passivas fit calor destructivus,  
evaporat & deserit mixtum. Quare quae  
putrescunt, sunt calida calore praeternatu-  
rali, frigida calore naturali: potest enim  
res esse actu calidior, ut aqua actu calidior  
quam vinum, & subjecto frigidior. Sic  
tritici aut alterius frumenti acervus, quum  
putrescere incipit, incalescit & fumat; post  
paulatim frigescit. Sic acervus heraminis  
in principio putrefactionis adeo incalescit,  
ut ova gallinarum fovere possit ad pullo-  
rum exclusionem, & alia instar ignis alicujus  
calefacere, quod quotidie in πρῶξερ exper-  
iuntur Chymici. Sic in humoribus corporis  
nostri putrescentibus calor est intensus, acris,  
mordax & ferè igneus. Sic in pomis, pyris, &c.  
putrescentibus, calor primò intenditur, ut li-  
quet

quet ex dulcedine, quam initio habent, postea debilitatur, donec evanescit, & tunc sunt ingrata. Idem in mespilis: quae non sapiunt, nisi initium putredinis habentia, ob caloris auctorem: postea ferè ingrata, extincto calore progressu putredinis. Sic caseum quum putrescit, initio fit acrior ob caliditatem. Hinc Aristotel. in Problemat. ait: Necesso est, ut quod putrescit, fiat calidissimum. Itaque sicut putrescentia primò sunt humida (humiditate non novâ, sed ab internis ad externa eductâ, & ob separationem à sicco factâ sensibiliore) deinde sicca: sic primò sunt calida, calore extracto, & factò sensibiliore, deinde frigida. Quod apparet etiam in pipere & alijs potentiâ calefacientibus, ubi calor copiosus contrario commixtus, si calore interno ventriculi excitetur & adaugeatur, fit major & sensibilibior.

Subjectum putrescibile dicitur in definitione humidum (primario, siccum secundario tantum) nam i. humidiora facilius, citiusq; putrescunt. ut pisces, carnes, &c. Ratio est, quia calor, quum minimum est humidi, illud facilius & diutius regere valet. Hinc

D

dulcia

dulcis citius putrescunt, quam acida, ob humiditatem majorem. & pinus quam quercus, cedrus, &c. ob causam eandem. Hinc nucleus nuci prius putrescit quam putamen, licet putamen prius ab externo calore afficiatur. 2. Que exsiccant, præservant à putredine, ut sal, sulphur, aloë, myrrha, &c.

Humidum autem intelligitur non alimentarium, nec excrementitium; sed elementare, mixto, quia mixtum est, competens: quod à calore, si adhuc est proprius & naturalis, regitur & terminatur: sic corruptus, frenis laxatis liberè vagatur, & à sicco separatur. Unde putrescentium superficies sunt humidiores in initio, in fine verò putrescentia paulatim siccantur, & fiunt instar cœni vel terre pulveris, cineris, &c. absumpto omni humido à calore externo.

Et quidem tam aëreum, quam aqueum. Non enim tantum aquam & terram videmus putrescere, unde insecta proveniunt, sed sæpe etiam aerem (partiali putredine) quando admiscetur noxiæ exhalationes adventitiæ, ut à nativa proprietate degeneret. Hinc febres malignæ, pestilentes, aliq̃, acutissima

tissimi morbi saepe oriuntur ab aere pravis  
exhalationibus infecto, & ita putrido: qui  
quomodocumq; in corpus nostrum receptus  
(vel ore, vel per arterias in superficie corpo-  
ris desinentes, vel alias insensibiles vias) spi-  
ritus & humores insicit. Unde Hippoc. rem-  
pore pestis integras sivas incendebat, ut ex-  
siccaret aerem, & vitiatum corrigeret. Ignis  
enim quom calidissimus sit, putridas humi-  
dasq; exhalationes absorbit: & ita nec pu-  
trefcit ipse, nam 1. omnia consumit, 2. nihil  
secum patitur commisceri, 3. non agnoscit  
aliud calidius vel potentius, nec inest illi ali-  
quis gradus caloris præter naturam. Notan-  
dam autem Elementa putrescere non ut sim-  
plicia & pura, sed ut permixta.

Magis tamen aqueum quam æreum,  
Unde pinguis dicit Arist. esse à putredine  
immunia, scil. respectivè: quia quæ æreæ  
naturæ sunt, ut oleum, &c. non tam cito pu-  
trescunt, ut aqueæ. Hinc ligna arida, quæ pa-  
ram habent humiditatis aqueæ (plurimum  
oleosæ, nam ex siccis & aridis plurimum olei  
arte chymicâ elicimus) diu servantur illæsa  
à putredine: ideo sicciora ad ædificia expe-  
tantur.



Dicitur humidum unumquodq; id est,  
tam naturale, quam adventitium. Quaedam  
verò humida satis apta sunt ad putrefactio-  
nem propriam humiditate abiq; adventitia. At  
quaedam ab extra humectantur, ab hume-  
ctantibus vel actualibus vel potentialibus.  
Actu: ut si ligna arida externum humorem  
imbibant, facile putrescunt, 1. quia nimiam  
humiditatem calor regere non potest: itaq;  
facile solvitur & superatur. 2. Quia cum eo  
tamquam vehiculo calor internus ab externo  
educitur (quæ tamen adventitiij humoris  
eductio non esset putredo, nisi cum eo calor  
quoq; educeretur, sed est tantum occasio vel  
conditio, sine quâ tunc non educeretur ligno-  
rum calor naturalis) & hunc sequitur pro-  
pria humiditatis eductio, atq; a sicco separa-  
tio. Notetur autem, quedam ligna in aquis  
non putrescere, ob siccum firmitus, & oleosita-  
tem compactiorem aquam respuentem nec  
imbibentem; tum ob alias singulares proprie-  
tates: sed magis magisq; indurari & lapide-  
scere, ut alnum, &c.

Potentia: ut carnes radijs Lunaribus ex-  
positæ facilius putrescunt, quia Lunæ vis est  
hume-

humectans. Sic medicamenta putrefacientia  
potentiâ sunt calida & humida.

Humectatio ergo externa est dispositio ma-  
terie vel subjecti ( non aliqua ex causis effi-  
cientibus putredinis, ut voluit Vallesius in 4.  
Meteor. contra Aristotelem, quem ideò unam  
efficientem causam putredinis omisisse putat )  
quod aptius ita fit ad recipiendum calorem  
ambientis, veram efficientem causam putre-  
dinis. Hactenus de subjecto.

Causa efficiens putredinis est prima-  
ria vel secundaria. Illa in definitione  
Aristotelis dicitur aliena caliditas am-  
bientis vel continentis alicujus corporis.  
Hæc in eodem c. 1. lib. 4. Meteor. dicitur  
frigus proprium..

Quoad primariam, calorem ambientem &  
alienum inducere putredinem docet Aristote-  
les hoc exemplo & experientiâ. Mixta mi-  
nus per hyemem quàm æstatem putrescunt:  
quia hyeme calor exiguus in ambiente aëre  
vel aqua. Per ambiens corpus intellige non  
tantum aërem & aquam ( licet his pro exem-  
plo tanquam notioribus utatur potissimum  
Philosophus ) sed ut sermo sit non modò de tota.

D 3.

li pu-

li putredine, ubi potissimum locum habent  
hæc duo corpora, sed etiam de partiali; quam-  
vis rem continentem vel ambientem. Potest  
enim res putrescere in aere, in terra, in  
aqua, vino & alijs succis: si habent talem ca-  
lorem, qui internum rei putrefaciendæ evo-  
care queat. Sic interiores fini partes putresi-  
unt à vicino limo. Sic succi seu humores in-  
tra corpus nostrum putrescentes principium  
putrescendi sumunt à re alia ambiente, ut vel  
ab aere inspirato calido, vel cibo potuque inge-  
sto, vel ipsorum membrorum calore, vel ex-  
cre mentis intus collectis, &c. Nam fuligines  
& vapores in corpore retenti, eò quòd eorum  
transpiratio vel ventilatio per obstructio-  
nem impedita sit, humores inficiunt, adurunt  
&c. febres putridas aliosq; morbos gignunt.  
Sic scabies, *Phlegma* & consimiles pu-  
tride affectiones ex consimili oriuntur causa.  
Hinc in cellis & locis vaporosis res facile pu-  
trescit, non ob aerem solum, sed conjunctum  
cum multis fuliginibus tepidis.

Agit autem calor ambiens non pri-  
marie in humidum (aliàs illud abjumeret,  
& tum humidum non dominaretur calori)

sed

sed Calorem rei internum; non destru-  
endo seu efficiendo frigidum, sed eum tam-  
quam sibi similem evocando: cumq; humidi-  
tas sit caloris vehiculum, unã cum calore ipsa  
ad exteriora fertur, & ita partes humida &  
siccã rectore deficiente separantur.

Calor enim externus ut internum evoca-  
re queat, hanc conditionem habebit, ut obti-  
neat proportionem ad calorem mixti corrup-  
pendi, eumq; nonnihil vel mediocriter tan-  
tum superet. Nam i. si nimis imbecillus, ut la-  
xare corpus satis non queat, non evocat: ea  
propter tempore hyberno res difficulter putre-  
scit. Interim res putrescit & tandem in aere  
frigido: hyeme enim putrescunt tandem lac,  
carnes, herba à terra separata, aliãq; aere  
tam calidiora. Quod enim aer alias facit in-  
tensivè vel efficaciori suo calore celerius, fa-  
cit tandem extensivè, vel actione diu perse-  
verante. Omne enim agens in agendo repati-  
tur, & vires ejus ita tandem diminuuntur, ut  
succumbat. Atq; ita longa actio intensione qui-  
dem debilis, extensione verò est magna & va-  
lida: ut ideo necesse sit mista omnia tandem  
ab aere superari & putrescere. Ita enim &  
durif-

durissima saxa ferrâ satis hebeti per actionem  
diuturnam finduntur demum; quod alias in  
objecto molliore ab agente acutiori celerius  
fieret. 2. Si intensior, quàm par est; ut ex-  
teriores partes torrefaciat, & crustam quasi  
obducatur, calor naturalis intus manens melius  
unit siccum cum humido, quod etiamsi abun-  
davit, nonnihil à calore intensiore absumptum  
est, ut liquet in carnibus infumatis. Sic &  
multa exposita radijs Solis tempore magis ca-  
lido, à putredine preservantur. Nam calor  
vehemens prius resolvit humidum, quàm ca-  
lorem internum educat: in actione autem  
lentâ prius educitur calidum. 3. Si intensissi-  
mus, combustionem efficit.

Hinc sequitur non aut difficulter  
putrescere.

1. Valdè calida & calidissima. Nam mi-  
nor est ambientis quàm rei caliditas. Et quò  
res est calidior, eò majore calore opus in am-  
biente, ut putrescat, nam à minore major non  
dissipabitur. Hinc vina debiliora in loco ali-  
quantulum calido putrescunt; generosa, nisi  
locus sit calidissimus, sunt calidiora & forrio-  
ra; quia exterius si non valet dissipare inter-  
num.

num, & ita ex accidenti debilitare, auget per se. Hinc femina & stercora evidentius incallescunt per putredinem, quam aliae partes fructuum, aut alia in animalibus; quia natura sunt calidiora. Sic sanguis in animali quando putrescit, &c.

2. Valde frigida, congelata, concreta, frigidissima, ut metalla. Quia res ut putrescat, debet primum incallescere calore alieno & praeternaturali: hic autem caloris tantae non sunt vires, ut frigidissimum superare & expugnare queat. Liquefunt quidem metalla, non naturam, sed arte signi vehementi; post ad pristinam naturam redeunt: Sic ex nimia refrigeratione membri alicujus, v. g. pedis, sensus perire potest, & pars emori, postea putrescere: frigus autem membro mortem tantum attulit, non putredinem.

3. Quae moventur aut fluunt. Res enim citius movetur, quam ab ambiente alteretur. Galenus causam putredinis rei quiescentis ponit in ventilatione impedita. Hinc aqua lacustris ob quietem frequenter putrescit, fluvialis vero raro aut numquam. Hinc solent vina non admodum generosa ab uno

D. 5

loco

loco in alium transferre, & in alia vasa  
transfundere. Hinc ædes in sublimibus locis,  
ut montibus, salubriores: quia aer ibi mobi-  
lior. Hinc salubriora conclavia superiora.

4. Res multa vel magna minus pu-  
trescit: quia in majori major inest vel ca-  
lidas vel frigiditas; ut magis resistere possit  
externis corrumpentibus, & superare vires  
ambientis. Exemplum adducit Philosophus:  
Mare in partes divisum facilius putrescit,  
difficilius totum. Sic & in fluminibus, stagnis  
alijsq; aquis. Sic res alia, quæcumq; integra  
diutius servatur, quàm in frusta secta.

Cum grano autem salis hoc accipiendum,  
nitrum nisi res ipsa multitudine sibi inter-  
cludat transpiratus viam: nam multa poma  
congesta alia super alia, non diu servantur:  
1. quia non persulantur liberè. 2. quia unum  
putrescens, alterum statim contagio inficit.  
Reposita autem sive multa, sive pauca, ut mu-  
tuò se non premant vel tangant, diutius du-  
rant. Sic facilius corripuntur febre expure-  
dine succorum, qui multis abundant succis,  
vel humoribus: quia multi malè persulan-  
tur.

Causa

*Causa Efficiens secundaria putredinis est Frigiditas mixti interna, non tantum privativa, ut volunt Vallesius, Erasius, Zabarella & alij, vel privato caloris, qui abijt (eo quod putrescentium calor sit diminutus) sed ut rectè Mercenarius, positiva: quæ cum antea in mixto integro vires singulares non haberet, jam vires pristinas resumit, in calorem mixti per se agit fortius, quando jam vires suas ex parte amisit calor, eumq; gravius oppugnat, donec prorsus à mixto recesserit. Si enim non adest frigiditas positiva, quæ in putrescentibus se exercere potest, quia calor ibi inferior; aut dices in mixto non esse terram vel aquam, aut si sunt, unde frigiditatem habent, si nulla est positiva in putredine? Atq; ita licet mixtum nondum putrescens seipsum non refrigeret; aliter tamen dicendum in corpore non amplius salvo & integro, ubi frigiditas vires recuperat pristinas.*

*Hactenus definitionis uberrima explicatio, ex qua breviter modum putredinis talem colligimus. 1. Externus & ambiens calor in mixta corpora agit calefaciendo, & se*



conjungendo cum interno rei putrescentis calore: unde initio res putrescens est calidior, calore præternaturali, & tunc non amplius regit humidum sub ea mensura & proportione, quæ cuiq; mixto competit. 2. Rarefaciendo & relaxando: atq; ita paulatim evocatur calor rei internus. 3. Hinc interna frigiditas se exferit & agit in calorem residuum. 4. Calore nimis diminuto & superato, fit dissolutio humidi & sicci, & partes mixti non amplius bene coherent. 5. Humidum sui juris factum, paulatim diffluit inordinate ad superficiem, & procedente putredine cum rectore suo evaporat. 6. Quando totum evaporavit, fit res putrescens sicca, & relinquitur simus vel terra, &c. Atque ita facta est mixti corruptio vel dissolutio in Elementa.

Notandum de definitione datâ Aristotelicâ ulterius, quod competat primario perfectæ & totali putredini; propositum enim ipsi fuit agere de mixti generatione, & eidem contraria affectione: secundario etiam imperfectæ, quæ via est & præparatio ad totalem: ideo in definitione dicere voluit Philosophus.

sophus, esse mixti interitum, ita enim excluderetur imperfecta illa putredo, quae est alteratio in accidentibus; sed proprii & naturalis caloris: nam haec est communis omnium putredinum conditio.

Galenus definit putredinem, quod sit mutatio ad corruptelam totius putrescentis substantiae ab externa caliditate. Haec definitio vitiosa est. Nam 1. combustionem competit, praesertim si corpus putrescens aliquod in ignem coniiciatur. 2. Totalem excludit putredinem: vocat enim non corruptionem, sed mutationem ad eam. 3. Definitum in ea ponitur, ut pars. 4. partialem excludit per verba totius substantiae.

Excusari autem potest forte Galenus, quod praesupposuerit jam antea bene traditam Aristotelis definitionem.

Dividitur putredo 1. nonnullis, ut Erasmo contra Mercenarium in naturalem & violentam. Violentam & Morbosam vocat Erasmus, quam nos supra definivimus ex 4. Meteor. text. 6. eò quòd sit à principio externo videlicet calore ambientis: eamq;

D 7

putat.

putat vocari Aristoteli interitum secundum partem.

Naturalem, quam primam speciem facit ( violentam secundam ) putat definiiri ibidem textu 3. cum dicitur finis interitus naturalis mixti, quatenus mixtum est: & naturalem vocat, quod fiat à principio interno mixti naturali & proprio calore, qui absumat humidum naturale & tandem pabulo destitutus marcescat.

Verum hæc divisio nulla est. Nam 1. Putredinis causa nulla est interna; externa omnis: nam calor mixti dum agit ut naturalis, continet & conservat humidum cum sicco; non absumat, non perimit, & in putredine calor naturalis patitur, non agit. 2 De naturali ferè nihil egisset Aristoteles, fusissimè de violenta. 3. Ita mixtum semper magis exsiccaretur, & falsum esset, putrescentia initio fieri humidiora, in fine sicca. 4. Calorem ali humido, & ipsum absumere, verum est tantum in rebus animatis ( unde totius humidi absorptio vel mors naturalis ipsi tantum tribuitur ) & corporibus heterogeneis; ubi ob consumptionem humidi est nutritio: quia enim

enim una est natura & temperies mixti homogenei, si ageret calor ibi per mediam calefactionem, idem mixtum calefaceret seipsum, & sic esset calidum. & non calidum, & actu & potentia secundum idem. Præterea hac ratione egerent mixta in animata sumptione alimenti externi pro humidi assumpti restoratione, quæ omnia absurda.

Rectius Vallesius violentam vocat & præternaturalem putredinem, quando mixta in tempessivè putrescunt. Ita si carnes bubula, quæ servari possent dies decem imputridæ, in loco calido & humido imperspirabili ponantur, ut uno die putrescant. Sic in alijs. Interim forma, ratio & modus putredinis idem est, ipso non diffitente Vallesio.

2. Melior est divisio putredinis in Totalem & Partialem. Totalis, facta, vel perfecta hæcenus potissimum definita est atq; explicata: quando videlicet calore interno planè destructo ipsius rei destructio sequitur, & mixtum omnino in Elementa dissolvitur, sicut generatio simplex (cui putredo opponitur) est, quando ex Elementis mixtum conflatur, atq; etiamsi mixtum secundum partem ali-

aliquam totaliter putrescat; est tamen perfe-  
cta illius partis putredo, non partialis, etiamsi  
reliquae partes saluae maneant.

Partialis, imperfecta, & siens est via ad  
totalem, & recessus à temperamento  
naturali maior vel minor; ubi humi-  
dum adhuc sicco est aliqua ex parte determi-  
natum. Quamdiu enim humidum cum sicco  
adhuc est copulatum totaliter non dicitur pu-  
tridum, sicut vulgò fit. V. G. Vulgus carnem,  
poma, &c. putrida vocat, quando vel fætent,  
vel alioquin usui & esui amplius non sunt  
apta, ut messila, &c. At non est hæc totalis  
putredo (nisi quando pomum in Elementa est  
resolutum, nec quicquam superest, quàm ter-  
ra aut pulvis) in pomum enim putrido vulgò  
dicto adhuc est humidum sicco commixtum;  
& hoc beneficio caloris, qui regit, unit, copu-  
lat, terminat. Ergo calor ibi non est totus cor-  
ruptus, neq; mixti forma totaliter corrupta:  
quod requiritur in totali putredine. Corruptio  
enim est Entis in non Ens mutatio. Rectius  
itaq; tum dicitur pomum putrescens, quàm  
putridum.

Exemplum partialis putredinis adfert Ari-  
stoteles

stoteles in Elementis, aere, aqua & terra: quae  
parcialiter putrescunt: non enim pura sunt,  
sed permixta. Terra habet humorem aqueum  
& calorem adventitium: aqua exhalationes  
siccas terreas, calorem sepe alienum: Aer si-  
militer siccas exhalationes, vapores aqueos,  
&c. Dico impura esse & permixta: non enim  
sunt verè & propriè mixta: Nam in mixtio-  
ne verà nullum miscibile manet integrum,  
nec ullum nimio excessu aliud superat, nec  
remanet amplius nomen alicujus ex miscibili-  
bus. Itaq; aer non totaliter putrescit: quia  
nec omnia ejus calor educi potest, nec totus  
ejus humor, tam proprius quàm alienus, à sic-  
co separari: unde aer & ante & post putrefa-  
ctionem retinet nomen aeris. Sed putredo  
maximè respicit humorem aqueum aeri per-  
mixtum, & calorem alienum: qui calor &  
humor alieni licet rectè non dicantur intrin-  
seci ipsi aeri, dicuntur tamen non ineptè à Za-  
barrellâ intrinsecati, hoc est, faciunt, ut Ele-  
menta sint apta putrescere. De terrâ idem  
intelligendum. Sic aqua humidum non potest  
totum euocari, quia est plurimum cum pau-  
co sicco. Quod ipsum intelligendum de  
omni-

omnibus liquidis, & magno excessu aqueis, ut  
vino, &c. Vinum enim putrefactum non in-  
teryt, quatenus mixtum, quia non est in Ele-  
menta dissolutum; licet recessit magis vel  
minus à naturali suâ temperie; quod est par-  
tialiter putrescere. Potest tamen tandem post  
longum tempus materia illa putrida planè in-  
terire, & in Elementa resolvi.

Notandum autem hoc loco contra Merce-  
narium, partialem putredinem, quam solis  
Elementis competere malè putat, omnino con-  
tineri sub definitione putredini supra datâ,  
nec esse solam impurationem & admixtionem  
corporis alieni, quam secundam ille fecit pu-  
tredini speciem. Nam 1. aliud est mixtio,  
aliud corruptio, vel putredo. 2. Mixtio vel  
impuratio (sicut etiam in alijs mixtis, quæ  
constant ex contrarijs) est causa sine quâ non,  
vel facit, ut res sit putrescibilis, non ut actu  
putrescat 3. Aliàs Elementa semper essent pu-  
trida. Deinde falsum, solis Elementis partia-  
lem competere putredinem, ut multis exem-  
plis ostensum.

Partialis putredo duplex potest constitui,  
ut sit alia levior, alia major.

Levi-

Levior, est tantum alteratio secundum  
sola accidentia, manente forma substantiali,  
ideoque tale mixtum ad pristinam naturam  
redire potest. Ut vinum leviter putrescens  
non desinit esse vinum: itaque progressus pu-  
tredinis adhuc impediri potest. Sic Elementa  
quamvis à sua natura recesserunt, ad eandem  
tamen reduci possunt, vel naturæ vel artis  
beneficio. Sic humores in corpore humano pu-  
trescentes sepe à Medicis restituantur pristi-  
næ naturæ. Quod si non possunt aliquando  
reduci ita & mitigari; tum majorem sunt  
passi partialem putredinem, adeoque pharma-  
cis expurgandi: & tum Medici vocant hu-  
mores prorsus & penitus corruptos, licet Phi-  
losophicè loquendo, totalem putredinem non  
sint experti.

Major est, quæ perditur quidem forma  
substantialis, non tamen fit dissolutio in Ele-  
menta, sed mutatio mixti in aliam mixti spe-  
ciem, ideoque tantus à nativâ proprietate fa-  
ctus est recessus, ut corrigi putredo non possit,  
aut nativâ integritas recipi, ut, poma putri-  
da. Sic vinum eò usque putrescere potest, ut non  
sit amplius vinum, nisi æqui vocè, quemadmo-  
dum



dum quum cadaver hominem esse dicimus.  
Tales sunt humores, qui dicuntur prorsus cor-  
rupti, ut modo dictum.

Sic etiam ex ijs quæ putrescunt, ge-  
nerantur animalia, diversam habentia  
formam à formâ mixti putrescentis. V. G.  
Vermes carnibus innascuntur, lignis, fructi-  
bus, &c. Unde teredo in lignis; caries in-  
fructibus, &c. ubi vermes humidum absu-  
munt. Sic vespæ & apes ex equis & tauris  
putrescentibus generantur. Unde versiculus:  
Vespas gignit Equus, producit Taurus apum  
vim.

Causa efficiens Aristoteli dicitur Ca-  
lidity segregata seu segregata, colligens &  
congregans ea, quæ secreta sunt. Causa ergo  
est caliditas segregata, quâ parte adhuc  
naturalis est, quæ antea omni humido do-  
minabatur, illudq; cum sicco terminabat,  
quæq; naturales fines tota nondum egressa.  
Corrumpitur enim calor naturalis in putre-  
dine, qui facit ad constitutionem illius mix-  
ti, non semper totus: ut ita reliquum ejus, li-  
cèt non omni, tamen certæ & definitæ humi-  
ditatis ac siccitatis parti dominari queat, ac  
conver-

converti ad materiam per frustula, quam ve-  
luti resumptis viribus cogit, ut potest: inte-  
rim externus calor repugnat facitq<sup>3</sup>, quo mi-  
nus perfecta aliqua fiat generatio. Ita enim  
& milites praesidiarij, quando urbem & ar-  
cem simul ab irruptione hostium tueri ne-  
queunt; urbem deserunt, in arcem se reci-  
piunt &, quod possunt, defendunt. Sic divi-  
nam quid natura est, semper optimum, ut est  
generatio, sibi habens propositum.

Causa itaq<sup>3</sup> non est calor ambiens, nam 1.  
hic efficit dissolutionem humidi & sicci, 2. hic  
non est calor segregatus ( loquor de ijs, quae  
generantur ex corporibus perfecte mixtis pu-  
rescentibus: quae enim ex limo putrescente  
oriuntur, causam interdum habere possunt  
ambientis calorem aquae vel terrae impres-  
sam, quod alibi etiam innuit Aristoteles ) 3.  
Omnis generatio naturalis fit concoctione:  
haec autem fit calore rei interno, ut capite  
de coctione probatum.

Causa remotior est calor caelestis, qui  
in generatione omnium aliorum animalium  
etiam requiritur.

Materia est humidum à sicco se-  
grega-

gregatum & solutum, que duo calor segregatus secundum quasdam particulas unum & determinat. Et prævalet humidum (unde ex combustis nihil generatur, quia humidi nihil relictum) vaporosum: ideo inanimata, ut metalla, que crasse materia sunt, inde non generantur, sed animalcula quedam imperfecta, imbecillia & pusilla: que statim conterri possunt, instar spumæ nonnihil exsiccatæ.

---

CAP. VI. & ultim.

DE COMBUSTIONE  
ET PETRIFICATIONE.

**C**ombustio est corruptio violenta mixti in igneam naturam, facta à calore intensissimo.

Efficiens ergo est calor intensissimus V. G. igneus. Contra in putredine erat calor mediocris. Agit verò calor in rem combustibilem tanquam in frigidam & contrariam (contra in putredine, evocando ut similem calorem) sive sit valde frigida, sive respectivè ad ignem, eamq; convertit in igneam naturam. Nam & cineris natura que relinquitur,

est

est affecta calore igneo. At in putredine fit re-  
solutis in omnia Elementa.

Materia in genere est quodvis Com-  
bustibile (multa enim sunt, quæ ignis vim  
eludunt, ut in Physic. à nobis de igni dictum)  
apertissimum autem est siccum (contra Putre-  
dini aptiora sunt humida) humidum enim in-  
ter comburendū resistit. Atq; ita combustio est  
corruptio frigidi & humid: à calido & sicco.

Modus agendi in combustione est vehe-  
mens: Non lenis; ut in putredine.

Petrificatio est corruptio mixti vi-  
olenta vel transmutatio mixti in rem  
terream, ferream, lapideam, &c. lapis  
enim est quasi terra indurata.

Retinet autem hæc species corruptionis no-  
men Petrificationis; quia conversio mixti in  
lapseam naturam est notior & vulgarior;  
atque mutatio in ferrum dicenda ferrifi-  
catio, &c. Exempla videantur de aqua in  
genere. Et non tantum in aquis nonnullis in-  
jecta lapidescunt, ferrescunt, &c. Verum  
etiam in terra, ubi ligna & alia mutantur in  
lapides, imò aliquando in lapides pretiosos, ut  
Iassidem, Achatem, &c.

Quam

Quamvis autem nonnunquam calor modo intensus, modo remissus concurrere videatur: tamen sequentes causas ut potiores adducemus.

Causa igitur Efficiens esse potest 1. Frigiditas. 2. Siccitas. Pater hoc. Nam corallium, planta maris, quando extra mare vel aquam est, induratur & lapidescit, ab ambiente penetrante frigore, & siccitate humiditati aqueæ oppositâ; ut non prius lapidescat corallium, quam removeatur humidum aqueum, succi lapidescentis vehiculum, quamvis addi potest abscondita duritie i. Neglecta, quam in se habet, quæ à circumstante aere in actum producitur. Sic lotium exceptum, & in frigido loco servatum, ad siccas maculæ parietes in crustas obdurefcit lapideas; at si calidum servetur, non tam citò calculos ponit, quàm si refrigerari sinatur; idq; omni salis generi est proprium. Unde ad calculi generationem in corpore humano concurrunt concoctricis & expultricis imbecillitas, renum frigida aut sicca intemperies (ut in senibus, qui magis obnoxij sunt calculo) & copia terrestris materiæ atq; salis in humido soluti.

luti. Calor enim renam magnus non solum non iuvat calculi coagulationem, quod contra vulgus Philosophorum & Medic. notandum, sed impedit potius. Unde iuventus calidior raro vexatur calculo, senes aut morbo afflicti sæpius & facilius. Sic si lutum aque communi optime commisceas, & frigori exponas, aqua congelatur ac luto causa est firmæ consistentiæ lapidus formâ. Sic cum lateres igni excoquuntur, extractâ aqueâ humiditate, quæ argillam fecit viscidam, & impediunt, ne lapidesceret, indurantur. Quamdiu enim lutum est humidum, in lapidem abire non potest. Ignis porro lapides facit lapidescere. 1. tollendo impedimenta, ut dictum. 2. Quia secum fert humiditatem oleosam (quæ ejus pabulum) salios ac sulphureos spiritus, exhalationes siccas cum terrestribus portionibus in minima resolutis. Hæc namq; omnia materiæ combustibili inesse, fuligo evincit ex fumi copia contracta; unde elici possunt terra, sal, humiditas inflammabilis, & spiritus. Ignis itaq; pabulum suum id est, terram, salem, spiritus & exhalationes contentas in materia, quæ comburitur, in argillæ vel  
luti

luti corpus (expulsâ prius ejus viscosâ humi-  
ditate) deferens, illud petrificat. Et cerè  
ignis subjectum vel materiam combustibilem  
ad terræ coagulationem facere hinc patet.  
Accipe cineres, à sale ablue: deinde eos  
adjunctâ aquâ cucurbitæ vitreæ inde, ac  
igni committe, videbæ nunquam lapidescere  
posse 1. quod nullum sal proprium habeant,  
2. quia per vitram ignis ex materiâ combu-  
stibili, cui inhaeret, hys spiritum, exhalatio-  
nem, salem, aut quidquam aliud commu-  
nicare non potest. Si verò salem à cineri-  
bus non auferis, mox lapidescere proprio sale,  
in cucurbita vitrea deprehendes. Huc re-  
spexit Paracelsus, quando causa petrificatio-  
nis dixit, coagulationem per spiritum salis,  
qui omnia salis corpora coagulat, ac aquam,  
qui hunc spiritum cum subtilissimis lapidum  
partibus fert, corporum vacuas partes per-  
meare, opplere & penetrare (sicut tinctura  
panni) in hys manere & lapidescere. Oculi  
enim fidem faciunt, salis spiritu sepe spiri-  
tum corallorum, margaritarum, oculorum  
cancri, aliorumq; mineralium, etiamsi vitrio-  
li essentiâ sit solutus, paucis guttulis iterum

coagu-

coagulari & in corpus redigi. Et vix est terra, nisi prorsus sterilis sit quæ ejusmodi sal non ferat: ubi enim herba & frutices, ibi plurimum salis, quod hys in alimentum cedit, & arte chymicâ ab hys rursus separari potest. Itaq; concretio à sale maxime videtur oriri, & sine hoc nihil indurescere. Unde fabæ in terra-salsa lapidescunt.

3. Vel deniq; Efficiens esse potest vis quædam peculiaris petrifica vel assimilatrix agenti insidens.

Materiæ patientis, vel rei transmütandæ dispositio est, 1. ut corpus habet porosum vel penetrabile, ut omnes minutissima intimaq; ejus partes ab agente patiantur. 2. Ut humiditas propria vel adventitia facile ab ea secedere possit. Agens vero vel Efficiens sequentes habebit conditiones. 1. adjunctum habebit patienti vel sibi humidum, aquosum actu vel potentiâ, tamquam vehiculum terrestris materiæ, quam in se continet, ut rem transmütandam (si pinguis & oleosa non sit) subire possit. 2. Vaporosum, ut in illam deferri possit & sublimari. 3. Oleosum, ut si res transmütanda sit pinguis & oleosa, eam penetrare.



netrare eiꝯ commisceri possit. 4. Agentis ma-  
teria habebit partes terrestres, ita subtiles, &  
in minima resolutas, ut in aquam injectæ aut  
exhalationibus commixtæ, perspicuitatem  
non impediant, id est, per totum commixtæ  
sint humido, sicut cum tartarus vini in vino  
resolutus est.

Materiam hanc, in quâ agens inhabi-  
tat, & quævis in lapidem transmutat, Ma-  
rthiolus dicit esse lutum, in quo multò plus  
sit tenacis terre, quam aquæ, præterea ra-  
menta saxorum, quæ aquarum decursus ab-  
radit. Deindè succum lapidescentem,  
qui cum in cavitates corporis irrepserit, quie-  
scens frigore concrescit. Fallopius in lib. de  
Metallis & fossilibus, succum lapidescentem,  
id est, humorem quendam optimè elaboratum  
& coctum, atq; genitum ex materia lapidosa,  
cum aquâ commixtum: cum qua si tantum  
confusus sit, non commixtus, ait, non trans-  
mutare res, sed saxeo cortice obducere, idemq;  
fieri, si ramenta lapidum ac exiguæ portiones  
aquæ commisceantur. Succum illum lapide-  
scentem facit alium impurum, qui in qua-  
vis terra reperitur, & lapidea semina in  
qua-

quavis terra producat: alium purum, clarum, limpidum & gemineum, exhalationem siccam habentem, & quum corpus aliquod, imbibit, in nobilem aliquem lapidem aut gemmam transformantem. Ut cum ligna in lassides & Achates transformantur. Ait enim se vidisse Venetijs frustum roboris magnum in lapidem pulcrum quasi lassidem referentem fuisse conversum. Nos lignum in Achatem optimum versum, apparente adhuc ligneo cortice, habemus à CL. viro, P. Pleusnero Friburgensium in Misnia Peliatro, dono datum. Addit & tertium, qui alimenti causa à plantis appetatur, ut à corallo, & in nonnullis partib. marinis tantum reperiatur. C. salpinus subscribit, ob materiae puritatem & impuritatem, crassitiem & tenuitatem, lapides oriri nobiliores & ignobiliores, perspicuos, opacos, duriores, molliores. Hactenus de causis Petrificationis.

Fieri vero petrificationem non tantum in aquis, ut à nobis de aqua in genere ostensum, sed etiam in terra: paucis exemplis, usq; valde admirabilibus comprobabimus. Testatur Agricola, in agro Luneburgensi inventa ossa

belluarum marinarum in lapides conversa  
(eò fortè venere ex mari per terræ cuniculos)  
quò fortè referenda sunt ossa maxima, que  
Gigantum fuisse vulgò putant. Ita & pisces,  
conche &c. petrificatæ in terræ cavernis re-  
periuntur. Hinc pisces fossiles Polybio dicti  
passim reperiuntur. Idem Agricola refert in  
Elbogano tractu integras cum cortice abie-  
tes in lapidem versas. Porro lib. 2. Magiæ na-  
turalis narrat alicubi succum abundantem  
petrificum ab arboribus per radices & trunci  
poros exsugî; atque radices ipsas, truncum,  
ramos, folia, & flores in lapidem convertere.  
Ioannes Kentmannus de fossilibus testis est,  
ferum altitudine 170. ulnarum cum trunco,  
ramis, folijs, in saxo cinereo durissimo sub  
terra in valle Ioachimica repertam, ibidemq;  
ex alno lapidem, unde cotes fiant, arte docet  
conficere. Et Autor est Agricola sepius in  
Bohemiæ & vicinîe locis subterraneis in-  
ventas arbores integras petrificatas, stantibus  
ad huc ramis, cortice, medullâ ac radicibus.  
Langius lignum quercinum sub terrâ desof-  
sum in corem lapideam mutatum manibus  
suis eruit. Testatur historia Bavarica An-

no 1348.

no 1348 ex terræ motu quinquaginta amplius  
homines rusticos, itim mulgentes cum vaccis  
extinctos diriguiffe, & in salarias quasi sta-  
tuas redactos: quæ simulacra postea inqui-  
rentibus conspecta. Dole indiffecta muliere 37  
annorum uterus & vesica planè in lapidem  
versæ sunt inventæ. Sic notiffima est Hi-  
storia fetus petrificati in utero, inibique  
28. annos gestati in Gallijs, describente Al-  
bosio.

Quamobrem nihil ferè est in rerum natu-  
ra ( nisi lapide durius sit ) quod succo lapide-  
scente accedente, non possit in lapidem con-  
verti.

Coronides loco causas subijcere placet  
generationis lapidum & calculorum in  
corpore humano.

Materia in qua vel subjectum sunt  
partes humani corporis varix &  
quamplurimæ, in quibus inventi calculi: ut  
in cerebro, aurium extremitatibus, sub pal-  
pebris, sub lingua, ad gingivas in faucibus, in  
pulmonibus, in corde & ejus arterijs, in san-  
guine & venis, in Epatis substantia & tunica,  
in vena portæ, folliculo fellis, liene, peritoneo.

omento, in fessinis colo & piloro, sub & in  
umbilico, in utero, venis hæmorrhoidalibus,  
juncturæ arthriticæ quibus unq;: maxi-  
mè verò & quæquentissimè in renibus &  
vesicâ stabulantur.

Causam materiale[m] pleriq; pituitam  
faciunt viscidam & lentam.

Efficientem verò Calorem, aliqui  
summum & igneum, aliqui temperatum, qui  
longo temporis tractu agit. At refutatur hæc  
opinio initio de causa materiali, nam 1. ex-  
pituita exsiccata nunquam fit lapis, sed mu-  
cus & viscus potius, 2. magis generantur  
lapides, ubi copia pituitæ, ut in cerebro &  
ventriculo, quam renibus. 3. Licet viscida  
& lenta materia, ut caseus, materiam præ-  
beat calculo, tamen quamdiu adest visciditas  
(quæ non est absq; humido & aquâ) impedi-  
tur coagulatio lapidis: & necesse est absorbi  
vel separari humidum, ut res exsiccetur.  
Nec opus est viscido tamquam glutine: gluti-  
nis enim loco est sal, quod in proportionatâ  
humoris quantitate indurescit, ut postea di-  
cetur.

Deinde quoad causam efficientem, illius vi-  
cem.

cem calor summus & igneus sustinere non potest, nam 1. hic potius materiam liquefaceret & resolveret, 2. Iuvenes, pueri itim qui calidiorum renum sunt, magis quam senes laborarent calculo, quod contra experientiam. 3. Lotium in frigido exceptum non citius lapidesceret, quam in calido. 4. Et alibi in locis frigidioribus, ut membranosis, calculi non nascerentur. Hoc alij animadvertentes dixerunt causam esse calorem temperatum longo tempore efficientem, quod brevis igneus fieret. At non omnes, qui temperato calore renum sunt prædit calculosi.

Alij causam dixerunt tartarum, alij coagulationem per spiritum salis, ut supra de petrificationis causis dictum. At rem nondum satis accuratè & distinctè explicaverunt.

Propius ad veritatem accessit Platerus in praxi sua: cui causa materialis calculi est terrestris pars feri: Efficiens, siccitas. Nititur hac experientiâ. Aqua enim materiam aliquam terrestrem devehens, ubi locum aliquem sicciorum aluit, ibi successive deponit terrenam & sabulosam substantiam.

partem parti agglutinat, donec striae lapideae, topi, &c. jam inde sint facti, nonnumquam in magna quantitate: ut liquet in aquis thermalibus & alijs salsis, nitrosis, atramentosis &c.

*Distinctius cause calculi ita proponuntur.*

Materia est humor superfluus, separatus ab alimento (generatur enim ex alimentis in homine) constans 1. ex aqueo humore 2. ex terrestri materia duplici: una instar luti vel boli crassa, & difficulter liquabili (ex terrestribus alimenti portionibus) à natura in minimas particulas resoluta 2. liquabili & in aqua dissolubili, instar salis communis perspicua & clara: quæ natura salsa refert naturam salis alicujus vel communis, vel nitri, vel armoniaci, vel vitrioli, tartari &c. Hic humor ex aqua, terra & sale constans, quando non expellitur à natura per ordinaria emunctoria, varia abstractionum genera & morbos parit. Quod si vero humidum aereum ab eo discedit, ex toto vel parte, in lapidem coagulatur lutum vel bolus ob remanens sal adjectum, & instar proprietate, nisi nimia humoris aquei copia diluatur. *ubi ergo copia terrestris*  
mate-

materia & salis in humido soluti, ibi materia  
apta ad calculum. Debet autem esse proportio  
inter salis quantitatem & terrestrem materiam.  
Hujus tanta esse debet quantitas, ut impediatur,  
ne sal illi unitum solvi possit: ejus tanta, ne terra  
fatiscat, & pulveris instar diffuat. Quam pro-  
portione servata, quod plus salis habet terre-  
stris materia, eò magis compingitur & indu-  
ratur. Ejusmodi materia calculi oritur ex  
alimentis crassis & terrestribus succi, salis fumo  
induratis, vino crasso & multum impuritate  
habente, cerevisia fœculenta, lacte &c. quæ  
omnia alibi uberius. Sententiam hanc tuetur  
An. Boëtius. Causæ porro efficientes præter  
salis naturam sunt 1. concoctricis & expultri-  
cis imbecillitas, 2. frigida vel sicca, vel ex  
utraq; composita intemperies, renum præci-  
puè, ut ex hæcenus dictis liquet. 3. Dispositio  
occulta calculosa renum, ut hæredi-  
taria à parentibus &c.



IN-




## INDEX CAPITUM.

- CAP. I. De Mixtione.
2. De corpore Mixto.
  3. De Temperamento Corporis mixti.
  4. De Coctione, atq; in specie, de Maturatione, Elixatione, & Assatione.
  5. De Mixti Corruptione, & imprimis de Putredine.
  6. & ult. De Combustione & Petrifactione: ubi simul de causis lapidum & calculorum in corpore humano.



xi.  
de  
la-  
ri-  
ri-  
re





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn730119920/phys\\_0115](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn730119920/phys_0115)

DFG






lucina seclum  
libentis et cha-  
quarunt.








*materia & salis in hunc  
 apta ad calculum. Deb  
 inter salis quantitatē  
 Hujus tanta esse debet  
 ne sal illi unitū solvi po  
 fatiscat, & pulveris in  
 portione servatā, qu  
 stris materia, eō mag  
 ratur. Ejuscemodi m  
 alimentis crassis & te  
 induratis, vino crasso  
 habente, cerevisia se  
 omnia alibi uberius.  
 An. Boëtius. Cause p  
 salis naturam sunt 1.  
 cis imbecillitas, 2. f  
 utraq; composita int  
 pue, ut ex hactenus  
 occulta calculosa  
 raria à p*

*teria  
 ortio  
 riam.  
 diat,  
 serra  
 à pro-  
 erre-  
 indu-  
 tur ex  
 fumo  
 ritatis  
 c. quæ  
 tuetur  
 præter  
 pulveri-  
 vel ex  
 præci-  
 spositio  
 di-*



the scale towards document

IN-